

V.P. Ioannes DUNS SCOTUS Subtilis Marianusq Doctor Ord: Minor: S.P. Francisci, Immaculatæ Conceptio: B.V. MARIÆ Defensor acerrimus. Obijt Coloniæ A: 1308. die 8. 9bris.

PANIS QUOTIDIANUS

JUVENTUTIS SACRÆ

In laborioso Examine ad Ordines, continuoq; Ordinis exercitio, Eandem

NUTRIENS

Juxta Subtilem V. JOANNIS DUNS-SCOTI Mariani Doctoris gustum

COCTUS

Ab Uno

Ordinis Minorum Regularis Observantiæ S. P. N. FRANCISCI Roxolanæ Provinciæ Professo.

Cum licentia Superiorum

Annô

Quô VERBUM Caro factum est, ut totum cibaret Orbem. 1750.

LEOPOLI Typîs Coll. Soc. JESU.

ADMODUM REVERENDO PATRI

JOANNI CAPISTRANO KWOLEK

Ordin. Min. S.P. FRANCISCI Regul. Obſervan. Sacræ Theologiæ Lectori Jubilato Roxolanæ Provinciæ Ex-Miniſtro, ac Vicario Provinciali, Lithvanæ ac Minoris Poloniæ Ex-Commiſſario Generali, Patri Primario, ac Benefactori Singulariſſimo.

N*ON poteram aliis hunc emendicatum conferre Panem, quàm Tuis manibus*, PATER PATRIÆ Emeritiſſime. *Quomodo enim Juventus Seraphica iam*

vilem gustaret cibum, quem priùs Paterna non benedixisset dextera? inficeret potiùs quàm reficeret modico ardoris ingenii mei non benè coctus igne, nisi ad triumphalem gloriæ Tuæ rogum, saporem illi erogares. Tibi enim proprium est cunctis Roxolanæ Provinciæ sapidum præstare alimentum, sub cujus utpote CAPISTRANI Vexillo faustissimè Divino militamus honori. Tibi enim non aliter natura concessit esse, nisi præesse cæteris; fáteri namq; non vereor, aut Tecum simul natos fuisse honores, aut ad magna ordinatum Te fore nativa monstravit indoles. Et certè mihi visum est, quòd si manibus Seraphicis Te ipsum non dedisses, ad suam utilitatem de Te certaret Orbis, cernens in juvenili adhuc ætate maturum ingenium, in angustia temporis augustum consilium, in tenerioribus membris invictum robur; ast optimè de Te consulêre Superi, tot & tantîs cumulatum dotibûs non aliò destinantes, quàm ad Minores, ùt eò magìs cæ-

terîs

terîs Tua emineat magnitudo virtutis, quò magìs inter Minores versaris medius. Quod utiq; brevì peractum est, nam in annua Novitiatûs proba, adeo Tua eluxit probitas, ùt omnium vota illustrâsset; Cernebant alii in primordiis Religiosæ vitæ Tuæ illam in Te virtutem excrescere, quam toto vitæ spatio vix consequi, habebant fiduciam. Superabat ætatem prudentia, genii ingeniiq; innata subtilitas, majorem, aut saltim parem suis reddebat Professoribus. Confirmat hæc etiam hîsce temporibûs in gerendis regendisq; Tua senilis sapientia, movet ad stuporem omnes mira passionum modestia, quis enim lacrymabilem fatorum luctum absq; ingenti senserit luctu? quis unquam in continuis laboribus, publicisq; necessitatibus tædium comitem expertus non fuerit? unicum planè hac in re censeo Te esse beatissimum, qui sub gravissimis Provinciæ oneribꝰ nō curvaris, in quotidianis difficultatibus semper facilis, in assiduis laboribus lassatus minimè; inten-

sa enim solicitudo Patriæ extremas ad subeunda incommoda colligit vires. Quid namq; est? quòd neq; gravibûs debilitaris curîs, nec adversîs contristaris casibûs? nonne ideo: quia conscientiæ puritas, ac interna quies semper Tibi perennem subministrant lætitiam, occultatumq; intùs gaudium fatalia sentire non permittit. O verè fortunatissimam vitæ Tuæ sortem! o felicissimum Imperium! quem enim desolatum absq; solatio dimisisti? quem subditorum priùs castigâsti, antequam Paternâ non mulceres bonitate? Clementiæ vigore regnas non rigore Justitiæ, tenes habenas Imperii, sed nulli ardua imposuisti fræna, & sicut omnibus faves, ita cunctorum foves animos ad Tibi obsequendum. Attigisti excelsæ gloriæ supremum collem, utiq; non tam coli, quàm colla submittere omnibus; quantò enim altiùs Tuam locâsti sedem, tantò latiùs nativam diffundis gratiam, quæ satis jam Patrios excessit terminos, dum intra Roxolanos non valens contineri

mar-

margines, Lithvanum ac Polonum implevit Orbem, ubiq; ſemper facundiſſima. Non audeo ulteriùs inculta dictione, ac limitato conceptu immenſas Tui metiri domites, infinitos recenſere favores, ampliſſimas coæquare gratias; nam merita dignîs non adæquare laudibûs, ignominia eſt & pudor Oratori; quare ſuppreſſô illa prætereo ſilentiô, quæ jam publica multoties proclamavit fama, quibus ût aliquid adjiciam, perennis obligationis, ac filialis amoris devinctiſſimo cordi meo imprimo vota.

Fr. Gaudentius Pikulſki.

CEN-

CENSURA
Theologorum Ordinis.

Librum conſcriptum à P. *Gaudentio Pikulſki*, continentem in ſe doctrinas plures examinandis, pro Ordinibus neceſſarias legimus, in quo cùm nihil fidei Catholicæ contrarium, imò multa ſcienda Tyronibus Clericis opportuna invenerimus, Prælo mandari poſſe cenſemus. Datum in Conventu Leopolienſi ad S. Andream Apoſtolum Die 6. Maji 1750.

Fr. Felicianus Lewicki L. T. Cuſtos.
Fr. Venantius Tyſzkowſki S. Theolog. Lector Generalis. mp.
Fr. Benedictus Kotſicki S. Theolog. Lector Generalis mp.
Fr. Victor Bogeneiſer S. Theolog. Lector Generalis. mp.

FACUL-

FACULTAS A. R. P. Commiſſarii Provincialis.

Cùm Opuſculum iſtud Junioribus ad inſtructionem, & Senioribus ad rememorationem doctrinarum Ordinibus ſuſcipiendis neceſſariò præexigendarum à Theologis noſtris ſit examinatum, & inventum doctrinæ SS. Patrum & Theologorum conſonum, hinc & Nos cenſemus & concedimus illud poſſe Typis dari. Leopolî Annô Domini 1750. Die 8. Maji.

Fr. FRANCISCUS KOZLEWSKI *S. T. Lector Jubilatus Ex-Miniſter & pro tunc Commiſſarius Provincialis Prov. Ruſſiæ Ord. Min. S. P. N. Franciſci de Obſervantia.*

APPRO-

APPROBATIO
JLLUSTRISSIMI Loci ORDINARII NICOLAUS IGNATIUS *De WYZYCE* WYZYCKI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Archi-Episcopus Metropolitanus Leopoliensis.

UNiversis & singulis quorum interest significamus. Quia NOS Libellum cui Titulus: *Panis Quotidianus* à Censoribus librorum recognitum approbavimus, & cùm in eodem libello nihil contrarium fidei Catholicæ contineatur, imo veriùs sit vel maximè ad Ordines aspirantibus perutilis, ideo eundem Typo imprimi permisimus, & facultatem dedimus. In quorum fidem Datt. Leopolî D. 18 Mensis Junii A. D. 1750.

JOSEPHUS BARSZCZEWSKI Canonicus Cathedralis Vicarius in spiritualibus & Officialis Generalis Leopoliensis S. R. M. Secretarius.

PRÆFATIO

Ad Lectorem.

IN alienam messem misi falcem, ùt Tibi Lector Benevole hunc panem præpararem; nam licèt triennali cursu fluentis Eurippi immersus fuerim undis, quæsivi tamen unde tuam satiarem esuriem ad Theologica properans littora, ex quibus collegi, quidquid legi tibi esse necessarium. Non fœcundum cernis opus sed facundum, quia quidquid cupis, capis absq; ullo labore. Brevitati studui ùt prodessem utilitati tuæ, arbitratus sum enim te in spatiosis voluminibus potiùs acquirere tædium, quàm doctrinam. Quare sis parvô contentus, nam excessivum cibum scias magìs inficere quàm

reficere; Habes enim in tam libello exiguo non solùm *illa* succinctè collecta quæ ad Examen Ordinandorum sunt accommoda, sed etiam alia, quæ statui Ecclesiastico judicavi esse utilissima, utì: de Modo incensandi Altare ac Oblata, de Ritu celebrandi Sacrificium Misſæ &c. quæ omnia ex recentissimis Rubricarum Explanatoribus ac S. R. Congregationis Decretis curavi esse colligenda, quibus si diligenter incumbes, rectè accumbes Mensæ Domini. Vale & esto gratus laboris.

Fr. Gaudentius
qui suprà

PARS PRIMA

De Rudimentis Fidei, Mysterio Incarnationis, adventu Christi, Sacramentis tam in genere, quàm in specie, ac eorum effectu.

SECTIO I.

De Fide, Mysterio Incarnationis, Adventu Christi ùt Redemptoris & Judicis.

Quia Fides juxta D. Basilium in *Psal.* 115. est: *Dux sacrorum eloquiorum, quæ de DEO fieri solent!* hinc de illa primô locô statuenda est doctrina. Cùm autem opposità juxta se posita magis elucescunt, ideò etiam & de Fidei opposito, scilicet Infidelitate sit.

ARTICULUS I.

De Fide & Infidelitate.

1. FIdes in communi juxta Apost: *ad Hæbr:* 11. *Est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quia tamen plura credimus, quæ non speramus, ideò clariùs potest sic describi: *Est lumen DEI quô illustratus homo firmiter assentitur illis, quæ DEUS nobis revelavit, sivè illa scripta sint, sivè non sint.*

2. Fides alia est *Actualis*, quæ, est assensus alicui propositioni propter testimonium DEI. Alia *Habitualis*, quæ est qualitas quædam nobis in Baptismate infusa, per quam possumus credere articulis fidei.

3. Utraque Alia est *Viva*, quæ est cum bonis operibus. Alia *Mortua* quæ est sine bonis operibus

4 Fides in via non destruitur nisi per solam infidelitatem, in Patria verò per visionem beatificam, nam secundùm *Aug.* Fides est, credere quod non vides. In Patria autèm videbimus facie ad faciem, quæ modò in ænigmate & speculo fidei intuemur.

5. Fides in omni lege fuit omninò necessaria ad salutem: quia impossibile est sine fide placere DEO. Non æqualiter tamen in fide Catholica sunt necessarij omnes articuli fidei. Nam.

6. *Articuli* fidei alii ſunt neceſſarii neceſſitate *Medii*, ſinè quibus de lege ordinaria impoſſibile eſt ſalvari. Alii neceſſarij neceſſitate *Præcepti*, qui eſtò ſint neceſſarii propter obligationem præcepti, ſi tamen aderit in fideli, ignorantia invincibilis, aut impotentia, poterit ſalutem conſequi absq; illis.

7 *Articuli* neceſſarii neceſſitate Medii, ſunt duplices: *In credendo*, & *In Suſcipiendo*. In credendo juxta *Trid:* ſunt quatuor: 1. Credere quòd ſit DEUS. 2. Credere quòd ſit unus in natura & Trinus in Perſonis. 3. Quòd ſecunda Perſona SSS. Trinitatis ſit Incarnata 4. Quòd DEUS ſit Remunerator noſtrorum operum. In ſuſcipiendo verò ſunt duo: Baptiſmus & Pænitentia poſt mortale Perſonale commiſſum.

8. *Articuli* neceſſarii neceſſitate *Præcepti* ſunt præcipuè quinq; 1. Decem præcepta, Decalogi. 2 Quinq; præcepta Eccleſiæ. 3. Septem Sacramenta. 4. Oratio Dominica. 5. Symbolum Apoſtolorum.

9. Omnes tenentur fideles ad ſciendos fidei articulos, non æqualiter tamen, ùt docet V. *Scotus* in 3. d. 25. q. 1. nam Majores, ùti ſunt Prælati & Superiores obligantur

habere fidem explicitam omnium mysteriorum, siquidem illis incumbit alios instruere. Minores verò utì sunt Rustici & cæteri simpliciores, sufficit si in generali credant totum id, quod Mater Ecclesia credendum proposuit: exceptîs articulîs fidei necessariìs, necessitate Medii & Præcepti, quos unusquisq; tenetur explicitè scire.

10. Tam articulos fidei necessarios necessitate Medii, quàm Præcepti tenentur omnes fideles explicitè credere, postquàm ad usum rationis pervenerint, juxta illud *Math:* 19. *Si vis ad vitam ingredi, serv mandata;* servari autem non possunt, ni sciantur.

11. Primum omnium præceptorum est hoc: *Quod tibi non vis, alteri nè feceri* supra quod fundantur alia duo: *Diliges D DEUM tuum. & proximum tuum, sicut te ipsum.* Supra hæc duo, iterum fundantur alia decem præcepta decalogi. Primum præceptū, est à natura, duo verò prædicta à DE

12. Præcepta Decalogi alia sunt institut à DEO propter bonum DEI; & talia sun tria prima, quæ dicuntur præcepta prim tabulæ, quasi in prima tabula Moysis fueri scripta. Reliqua verò septem sunt institu

propter

propter hominem, nè unus alteri inferret injuriam, & hæc vocantur præcepta secundæ tabulæ.

13 Præcepta Decalogi alia sunt *Positiva* per quæ præcipimur aliquid facere. Alia *Negativa*, per quæ prohibemur aliquid operari vg non Occides.

14. Præcepta *Positiva* obligant nos semper, sed non pro semper. *Negativa* verò & semper, & pro semper.

15. *Infidelitas* opposita fidei est duplex: *Positiva & Negativa*. Prima reperitur in illis, qui fidei notitiam habent, sed illam contemnunt vel ei contradicunt, utì est in Iudæis, Turcis, & Hæreticis. *Negativa* verò est in illis, qui nihil audierunt de fide, & talis fuit in Gentibus.

16. Infidelitas Negativa, non est peccatum per se, qui enim nunquam de fidei doctrina audivit, non potest ejus notitiam aliqua ratione acquirere, juxta illud *ad Rom.* 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Positiva autem est peccatum gravissimum ex genere suo, ùt docetur *Joan:* 15 *Si eis non dixissem, peccatum non haberent.*

17. Infidelitas *Positiva* est triplex. *Paganismus, Judaismus, & Hæresis* Paganismus

tunc

tunc est, quando nullius mysterij revelati fides habetur. Judaismus est, quando creditur veteri testamento, non tamen novo. Hæresis est, quando alicui veritati ex novo vel ex veteri testamento, fides negatur. Si autem fides suscepta in totum abjicitur, *Apostasia* vocabitur, ùt dum quis ex Christiano, fit Iudæus.

18 *Hæresis* est duplex: *Formális* & *Materialis*. Prima: est error voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tuetur contra aliquam fidei Catholicæ veritatem. Materialis verò Hæresis est error contra fidem Catholicam non ex pertinacia voluntatis, sed ex simplicitate, vel defectu informationis debitæ, aut sinistra instructione proveniens. Et hæc præsertim Hæresis reperitur in vulgo Hæreticorum, ubi Catholici non tolerantur.

19. Ad Hæresim Formalem duo necessariò requiruntur, nempe: Error in intellectu, & Pertinacia in voluntate.

20. *Hæresis* Formalis est de genere suo peccatum grave, & quidem gravius quàm Paganismus, juxta illud 2, *Pet.* c. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post cognitam, retrorsum converti.*

21. Hæresis

21. Hæresis verò Materialis nullas inducit pænas Juris pro foro conscientiæ & coram DEO. Ratio primæ partis est; quia pænæ in hæreticos latæ non incurruntur, nisi propter culpam conjunctam cum pertinacia; sed in hæresi materiali nulla ste contumacia: ergo &c. Ratio 2*dæ.* partis est: quia peccatum oritur ex prava voluntate, in casu autem non habetur. Tum quia ignorantia invincibilis excusat à peccato.

22. *Pænæ Spirituales* contra Hæresim Formalem sunt quinque 1. Excommunicatio Major in Bulla Cænæ Papæ reservata. 2. Inhabilitas ad dignitates, officia, & beneficia Ecclesiastica. 3. Privatio Dignitatum, Officiorum & Beneficiorum priùs obtentorum. 4. Irregularitas. 5. Privatio sepulturæ.

23. *Pænæ temporales* Hæreticorum pariter sunt quinq; 1. Infamia. 2. Confiscatio bonorum. 3. Amissio Patriæ potestatis in liberos. 4. Liberatio subditorum ab omni debito obedientiæ. 5. Intestabilitas tàm Activa, vi cujus testamentum condere nequeunt; quàm Passiva, vi cujus ex testamento legato nihil possunt accipere.

24. Hæretici alii sunt *Interni*, & alii *Externi*. Interni sunt, qui errorem suum

cum per-

cum pertinacia conjunctum solâ mente retinent. Externi verò illum errorem, quem mente tenent exteriùs manifestant verbô aut factô.

25. *Nota:* quòd ille, qui circa aliquem fidei articulum sibi sufficienter propositum deliberatè & positivè dubitat, peccat peccatô hæresis, ùt patet ex *Can. Dixit Apostolus.* 24. q. 3. in quo dicitur. *Dubius in fide infidelis est.* Quod etiam definitum est in *Conc. Later.* sub Leone X.

26. *Schisma* (quod idem significat ac latinè scissura) est Divisio, & pertinax segregatio hominis baptizati ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, prout hæc, est Corpus Mysticum ex universis fidelibus, tanquam membris, & Romano Pontifice, tanquam Capite, constans.

27. Schisma aliud est *Purum* & aliud *Impurum.* Schisma purum est, quod non opponitur fidei sed charitati, eò; quia per illud fidelis non vult obedire Papæ ex malitia vel timore pænæ, retinendo integram fidem. Impurum verò, ultra inobedientiam Papæ, negat aliquem articulum fidei ùt vg. quòd Papa non sit Caput Ecclesiæ &c. Et hoc Schisma habet sibi conjunctam Hæresim.

28. *Apoſtaſia* [quæ latinè ſignificat deſertionem & defectionem] eſt: Temerarius receſſus à prioris vitæ inſtituto, quod publicâ & ſolemni profeſſione ſuſceptum eſt.

29. Apoſtaſia eſt triplex: à fide, à Religione, & à Sacro Ordine.

30. Apoſtaſia *à fide* eſt: omnimoda defectio à fide Catholica, quam quis in baptiſmo ſuſcepit. Differt ab Hæreſi; quia hæc non deſerit fidem totaliter.

A Religione, eſt omnimoda defectio, ſeu receſſus à Religioſo ſtatu per profeſſionem ſolemnem inito, ſivè abjiciatur habitus, ſive non. Sicuti enim ſuſceptio habitûs non facit Monachum, ſed vitæ Religioſæ integritas, ſic neq; ejus retentio excuſabit ab Apoſtaſia.

Excipiuntur tamen illi, qui à Superiore injuſtè gravati, altiorem ſedem appellant, hi enim non debent dici Apoſtatæ. cùm non abijciant Religionem, ſed ſolùm id faciunt, quod eſt de jure naturali.

Apoſtaſia *ab Ordine* ſacro, eſt temerarius tranſitus à ſtatu Clericali ad Converſationem laicalem dimiſsô habitu, & Tonſurâ Clericalî.

31 Apoſtatæ à fide; eaſdem incurrunt pæ-

nas quas Hæretici, cùm revera ſint Hæretici cum quodam exceſſu.

32. Apoſtatarum *à Religione* ſunt ſequentes pœnæ. 1. Incurrunt excommunicationem majorem latæ ſententiæ, qui dimiſerunt habitum, qui verò retinent illum, ferendæ ſententiæ. C. 1. *Ut periculoſa.* 2. Suſpenduntur ipſò factò ab uſu & exercitiò Ordinum ſacrorum, (non tamen Minorum) 3. Amittunt omnia privilegia ſuæ Religionis ex *Trid.* ſeſ 25. c. 19. *De Regular* non tamen illi, qui habitum retinent, ùt notat P. *kloz* l. 5 t 9.

33. Apoſtatæ [*ab Ordine Sacro*, hìs arcentur pœnîs. 1. Excom: Majore ferendæ ſententiæ. 2. Infamiâ, hæc tamen poteſt tolli per Pœnitentiam. 3. Irregularitate, quæ auſertur per Pœnitentiam. Si verò contraxiſſet Apoſtata Matrimonium, eſſet irregularis ob Bigamiam Spiritualem. 4. Amiſſione privilegii non ſolùm Fori ſed etiam Canonis, ita; ut ſi dimiſerit habitum, percutiens ipſum non incurreret excommunicationem Canonis. Colligitur ex C. 23. *De ſententia Excom.*

34. *Nota* quòd à principio mundi usq; ad ædificium turris Babylonicæ, nulla fuit Hæreſis ùt docet. *Epiphanius* l. 1. adversùs

Hære-

Hæreſes cap. 5. Poſt multiplicationem autem linguarum, multiplicatæ ſunt & Hæreſes, ita; ut ante Chriſti Nativitatem viginti numeratæ ſint ab eodem Epiphanio, quorum etiam & Evangelium meminit. Quales fuerunt Scribæ, Phariſæi, Saducæi, Herodiani. Status pariter gratiæ, quò magis abundat arcanìs fidei, eò plures expertus eſt Hæreſes; nam ùt refert P. *Fraſſen* tom. 1. pluſquàm centum quinquaginta numerantur, quæ videndæ ſunt apud illum locô cit.

ARTICULUS II.

De Myſterio Incarnátionis

1. Certum eſt de fide, quòd DEUS ſit Trinus in Perſonis, & Unus in Natura, & ideò non poſſunt dici tres Dij, ſed Unus, quia ad hoc ùt dicantur tres Dii, non ſolùm requiritur pluralitas Perſonarum, ſed etiam Naturæ ùt docet V. *Scotus* in 4. d. 6 q. 2.

2. Certum eſt etiam, quòd ſecu nda Perſona eſt Incarnata, & quidem convenientiùs quàm Pater & Spiritus S. quia ùt dicit *Auguſt:* Convenientiùs fuit ut Ille ſit in tempore Filius hominis, qui fuit ab æternò Filius DEI. Tum quia, ùt notat V. *Scotus.* ſi Pater, aut Spiritus S. incarnaretur, jam multi-

multiplicarentur in Trinitate Filii, Unus enim esset Filius DEI, alter hominis.

3. Licèt per se ac formaliter sola secunda Persona est incarnata, concomitanter tamen etiam Pater & Spiritus S. Ratio est ex verbis Christi *Joan.* 14. ubi dicit: *Ego in Patre & Pater in me est.* &. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Cùm enim omnes tres Personæ SS. Trinitatis sint identificatæ eidem Naturæ Divinæ, hinc ratione talis identitatis, si Filius est incarnatus etiam Pater & Spiritus S.

4. Etiamsi Adam non peccâsset, adhuc Filius DEI venisset in mundum, non ùt Redemptor, sed ùt Glorificator. Ratio est ex V. *Scoto* in 3 d. 7. q. 3. quia Incarnationis D. est duplex finis: Primarius est excellentia tanti mysterii & communicatio suæ bonitatis ad extra. Secundarius verò fuit Redemptio humani generis. In casu ergo, licèt non haberetur finis secundarius, quia tamen adesset primarius, ideòq; fieret Incarnatio.

5. Incarnatio Verbi, non fuit simpliciter necessaria ad redimendum genus humanum, ùt docet V. *Scotus* in 3. d. 20. Ratio ipsius est: quia potuisset DEUS condonare

suam

suam offensam, nullam exigendo pœnā prout etiam D. *Athanasius* contra Arianos serm. 3. testatur dicens: *Poterat sine adventu Christi solummodo loqui DEUS, & solvere maledictionem.* Et S. *Bernardus* Epist 190. *Quis negat ad manum Omnipotentis, fuisse alios, & alios modos nostræ redemptionis?* Et S. *August.* adhuc clariùs lib. de agone Christi c. 11. dicens: *Sunt stulti, qui dicunt: non poterat aliter Sapientia DEI homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur.*

6. Licèt tam Natura Angelica, quàm humana, indigebat reparatione, convenientiùs tamen fuit reparare naturam hominis, quàm angeli. Ratio est: quia per peccatum Adæ, totum genus humanum periisset, per peccatum verò Luciperi non tota natura angelica corrupta est. Tum quia magis diabolus peccavit, quàm homo. quia ipse absq; tentatione prævaricatus est, homo verò cum tentatione peccavit. Tum quià diabolus magis agnoscebat malitiam sui peccati, quàm homo, & ideò minùs misericordià dignus factus est.

7. Verbum Divinum in eodem instanti

fuit

fuit incarnatum, quô Beatissima Virgo MARIA dixit: Ecce ancilla Domini fiat mihi: & Corpus Christi statim perfectè fuit organizatum, concurrente Beatissimâ Virgine ad ejus generationem subministrando sanguinem suum.

8. Verbum Divinum assumpsit naturam humanam, non verò Personam, & ideò in Christo sunt duæ naturæ, & una Persona, non quidem Persona hominis sed Verbi, quia non homo assumpsit DEUM, sed DEUS hominẽ.

9. Probabiliùs est quòd Verbum D. non solùm assumpsit animam, corpus & sanguinem, utpotè partes principales naturæ humanæ, sed etiam dentes, ungues, capillos, & spiritus tam vitales quàm animales; nam etiam istæ partes vivunt, & pertinent ad ornamentum corporis.

10. In triduo mortis Verbum D. fuit unitum tam animæ quàm etiam corpori, imò & omnibus istis partibus, quas assumpserat, quia secundùm *Damascen. Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.*

11. Particulæ tamen sanguinis, quæ post Resurrectionem remanserunt [utì sunt Venetiis apud Minoritas, Viennæ, & Mantuæ, à Leone X. declaratæ] probabiliùs non sunt

unitæ

unitæ Verbo, ſed in momento effuſionis amiſerunt unionem. Ratio eſt, quia aliàs deberent poni vi verborũ ſub ſpeciebus, quod non concedit *Trid:* Tum quia guttæ illæ non pertinent ampliùs ad corpus Chriſti, ſiquidem jam perfectè reſurrexit Dominus.

12. Licèt Chriſtus Dominus fuit occiſus Annô à creatione mundi 3982. ſi tamen myſticè velimus loqui, nonne fuit interfectus per peccatum Parentum noſtrorum Adæ & Evæ? nonne ex hoc myſtico Agno fecit illis tunicas pelliceas? ùt legitur *Gen.* c. 2. profectò iſte eſt Agnus, de quo *Apoc.* 13. verſu 8. dicitur, *Agnus occiſus eſt ab origine mundi.*

13. Defactò Chriſtus Dominus per ſuam paſſionem redemit omnes homines juxta illud 1. *Joan.* 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed pro totius mundi.* Quòd autem non omnes ſalventur; hoc non provenit ex defectu meritorum Paſſionis Chriſti, ſed ex defectu propriæ actionis, inquantum DEUS noluit hominem ſalvare absq; cooperatione ipſius, ùt monet *Auguſt.* ſerm. 15. de verbis Apoſtoli c 11. dicens: *Qui creavit te, ſine te, non ſalvabit te, ſine te.*

14. *Nota* quòd multæ Heræſes exortæ ... ſunt de

ſunt de Chriſto incarnato & Natura Ejus. Aliqui enim negabant eſſe DEUM, ùt *Simon Magus*, de quo *Actor.* c. 8. legitur. Alii verò agnoſcebant Chriſtum habuiſſe quidem Divinitatem, ſed in Paſſione ab illo diſceſſiſſe, ùt *Cerinthus*. Reliqui verò in Chriſto humanitatem negabant, ùt *Marcion*, Saturninus, Valentinus, & Baſilides.

15. *Saturninus* enim, *Valentinus & Baſilides* negabant Chriſtum fuiſſe de Virgine natum, ſed ſolùm corpus phantaſticum habuiſſe, & per Virginis uterum velut aquam per canalem tranſiiſſe. Unde *Baſilides*, blaſphemabat dicens: quòd Chriſtus non fuit pro nobis paſſus, aut crucifixus, ſed Cyreneum immutavit in ſuam Perſonam, & illum permiſit crucifigi, & ideò ipſe Cyreneus clamabat in Cruce ad Chriſtum: *Ut quid dereliquiſti me*, qui paulò mecum Crucem portâſti?

16. *Cordoniani* verò *Manichæi & Albigenſes* dicebant eſſe duos DEOS, quorum unus eſt malus, & hic creavit omnia iſta viſibilia, & legem Moyſis ipſe in fulmine & furore conſtituit. Alter verò eſt bonus, qui inviſibilia omnia creavit.

Ex quibus Manichæi in quolibet homine agnoſcebant duas eſſe animas, bonam à

DEO

DEO bono, & malam à malo sibi inditam, quæ secum continuò pugnant, & si bona vincit malam, virtuosus homo efficitur, si verò mala, bonam superat; scelestus utique evadit.

Horum ergò nonnulli sequaces etiam in Christo admittebant duas animas, quarum una in horto Gethsemani dicebat: *Pater transeat à me calix iste.* altera verò priorem quasi corrigendo exclamavit. *Non mea sed tua voluntas fiat.*

17. *Apollinaristæ* autem in Christo nullam agnoscebant animam, sed locò animæ fuisse Verbum D. garriebant. Quorum Princeps fuit Apollinarista non minùs doctrinâ quàm pietate Vir insignis, de quo S. *Hieron:* lib. de Script. Eccl: c. 114.

ARTICULUS. III.

De Adventu Messiæ.

1. Certum est de fide jam revera advenisse Messiam negantibûs hucusque obcæcatîs Judæîs, contra quos ùt potè domesticos hostes.

2. *Probatur* imò: Gen 49. habetur. *Non auferetur sceptrũ de Juda, & Dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium;* sed modò ablatum est

tum est sceptrum de Juda, & Dux sive Princeps: ergo venit Messias.

3. Respondent ad hoc Judæi primò dicentes: Si hæc Prophetia intelligeretur de Messia, sequeretur etiam contra Catholicos, quòd JESUS non esset Messias, siquidem ante Ejus adventum quingentîs ferè annîs fuit ablatum sceptrum de Juda, nempè in captivitate Babylonis, post quam hucusque non habemus de Gente Nostra Regem. Pro quo.

4. *Nota 1mò* ex P. Frassen & Galatino lib. 4. S. Jacobum duo signa posuisse venturi Messiæ; *1mum*, quòd ante adventum Messiæ non deberet auferri Regia potestas à Juda, *2dum* quòd neque Dux sive Princeps de femore ejus, ùt clarè patet in citata Prophetia. In captivitate ergo Babylonis, licèt fuit ablata Regia potestas, fuerunt tamen de tribu adhuc Juda Duces & Principes, ùt Zorobabel, Josue: ùt videre est 1. *Esdræ* 3. Undè Iudæi videndo, quòd jam impletum esset *1mum* signum venturi Messiæ, debuerant in proximò illum sperare. Pro majori adhuc fundamento hujus.

5. *Nota 2dò* quòd *Num.* 11 DEUS jussit Moysi eligere 70. Viros de senibus Isràël ut omnem populum judicarent, quibus præsidebat

debat Moyses, & post mortem illius Successor, qui semper vocabatur Dux & Princeps; Hoc itaque Concilium 70. Virorum vocabatur communiter *Sanchedrin*, & perseveravit etiam in captivitate Babylonica usque ad Herodem Ascalonitam [ut patet *Daniel.* 13. ubi Susannam non Rex Babylonis, sed Seniores Judæorum condemnabant ad mortem] postquam autem Herodes adamavit neptem Hircani Ducis & Principis sanchedrin, ob amorem illius circumcisus est, ut illam in uxorem duceret, quod dum factum esset, ipse Herodes ab Augusto Cæsare Regnum Judæorum sibi impetravit, sed quia Hircanus sæpiùs contra ipsum seditiosus fuerat, dicens: sibi Principatū deberi, ab ipso, dolô captus & occisus cum omni Concilio Sanchedrin, comburendo eorum libros judiciarios, & Genealogiam Regum; undè de stirpe Regia quotquot fuerant jussit interfici, ne illi aliquis in Regnum succederet. Hinc de JESU nato à Magis diligenter voluit informari, ut etiam ipsum possit interimere. Hæc omnia etiam ipsi Thalmudistæ scribunt in *Bavabathra* de Concilio Sanchedrin.

6. Ex quo patet quòd secundum signum ven-

venturi Messiæ in ipsa planè Nativitate Christi Domini fuit expletum, nam ab hoc tempore defecit de Juda Dux seu Legislator & Judex.

7. Neque valet instantia Judæorum dicentium: quòd etiam in passione Christi hoc Concilium Sanchedrin perseveravit, nam *Mat: 27.* habetur. *Mane autem factô, consilium injierunt omnes Principes Sacerdotum & seniores populi adversùs JESUM, ut Eum morti traderent.* Nihil enim ex hoc probant Judæi, nisi quòd eorum Sacerdotes convenerunt, ùt falsò possent accusare JESUM, non autem illum Authoritate sua condemnare ad mortem; nam dum Pilatus concessit illis ut secundùm legem judicarent Christum, responderunt: *Nobis non licet interficere quemquam.* ergo pro tunc ablata illis fuit omnis potestas judiciaria,

8. Respond. *2dò.* Judæi ad Prophetiam Num. 2. positam dicendo: quòd malè Catholici intelligitis illum textum, qui in litera Hæbr: est talis: *Lo jasour scebeth mi ouda, on mehokek mimbem ragelar adki jabo siloch velo ikchat ammim.* Ubi ly *scebeth* non sumitur pro sceptro Regio, sed pro virga tribulationis, & facit hunc sensum: non aufe-

retur

retur virga tribulationis de Juda, donec veniat qui mittendus est. Quia ergò nondum ablatá est à Juda tribulatio, ideò nondum adhuc venit Messias.

9. Sed quàm falsa est talis Judæorum interpretatio; ostenditur *imò* quia S. Jacob non loquebatur de tribulationibus Judæ, sed de prosperitate & principatu ejus, undè in eadem benedictione Judæ dixit S. Patriarcha. *Juda laudabunt te Fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum* &c. ubi nec somniavit de ejus tribulationibus. 2*dò* Falsò etiam à Judæis per ly *scebeth* intelligitur virga tribulationis, nam noster *Lyranus* peritissimus in lingua hæbraica dicit ly *scebeth* semper significare sceptrum, quòd patet *Psal:* 44 ubi David dicens: *Virga directionis virga Regni tui*, utitur nomine *scebeth* pro virga.

10 Respondent tandem varii variè. Rabbi Benjamin mendacissimus dicit: in Asia Regem esse de Iuda ita potentem, ut triginta millia peditum ex nunc possit in bellum mittere. Alij volunt prædictam prophetiam de Nabuchodonosore intelligi. qui abstulit sceptrum de Iuda missus à DEO in pænam peccati Iudaici. Hæc tamen responsio nec

solu-

solutione digna est, quid enim Sancto Patriarchæ cum impio Nabuchodonosore ut de illo in extremo halitu vaticinia ederet? Tum quia ille tyrannus non fuit expectatio Gentium sicut Iacob prædixit de Messia.

11 *Probatur 2dò* Adventus Messiæ ex illo *Dan:* 9 *Animadverte sermonem & intellige visionem, septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte ab exitu sermonis, ut iterũ ædificetur Ierusálem usque ad Christum Ducem hebdomades sexáginta duæ erunt, & rursũ ædificábitur plateá & muri in angustiá temporum. Et post hebaomades sexágintá duás occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negáturus est. Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in medio hebdomadæ, deficiet sacrificium & hostia, & erit in templo abominatio desolationis, & usque* *ad con-*

ad consummationem, & finem perseverabit desolatio; sed prædictæ 70 hebdomades jam pridem sunt finitæ, ergo jam venit prænunciatus ab Angelo Christus.

12 Neque valet Iudæorum responsio, allatam authoritatem debere intelligi de Hircano Principe Sacerdotum ultimo legitimè electo, qui dicitur Christus, quia fuit unctus [hoc enim, vocabulum *Christus* significat] hic postquam fuit ab Herode occisus, hucusque est in templo Hierosol: desolatio. Non valet utique hoc effugium, nam Hircanus neque potest dici Sanctus Sanctorum, neque per ipsum adducta est justitia sempiterna, sicuti prædicitur in Prophetia S. Gabrielis.

13 Neque potest subsistere fallax nonnullorum Rabinorum explicatio citatæ Prophetiæ, dicentium: Hebdomadas illas esse longissimas, quæ nondum adhuc sunt finitæ. Id enim gratis asserunt, siquidem quod post illas secuturum fuisset, jam illud pridem in seipsis sentiunt, nempe desolationem in templo Salomonis. Pro quo adhuc.

14. *Nota imò* quòd apud Judæos hebdomada dupliciter sumi solet, vel pro hebdomada *Dierum* ut *Levit.* 13. & sic in una hebdomada erunt dies septem, & decem heb-

hebdoma-

domadæ facient dies 70. Vel etiam sumitur pro hebdomada *Annorum* ut *Levit.* 25. & sic septuaginta hebdomadæ faciunt annos 490. In prædicta igitur Prophetia non sumitur hebdomada Dierum, quia aliàs post annum & dimidium ab exitu sermonis adveniret Messias; ergo debet sumi pro hebdomada Annorum, seu pro 490. annis, quibûs expletîs, natus est Salvator. Nam 70. hebdomadæ fuerunt inchoatæ sub tempus Regni Persarum, continuabantur toto tempore Monarchiæ Græcorum, finitæ verò sunt circa principium Romani Jmperii, primus enim Jmperator Romanus fuit Augustus, sub quo Christus natus est.

15. *Nota 2dò.* quòd S. Gabriel illas 70. hebdomadas in tres distribuit partes, eò; quia intra spatium 490. annorum designatorum per illas hebdomadas notabiles fuissent venturi eventus. *Primò* enim divisit in hebdomadas 7. id est 49 annos, intra quod tempus restaurari debebat Civitas, & Templum DEI quas hebdomadas 7. vocat Angelus angustias temporum, quia ût notat *Lyranus* in magna angustia & tribulatione reædificabatur Civitas Ierusalem, unâ enim manu Iudæi muros in circuitu ejus ponebant, alterâ

alterâ verò, gladium portabant propter incursionem hostium, ut legitur 2. Esdræ C: 4. *Secundò* Dividit: Angelus hebdomadas 70: in 92. id est annos 474. in quibus prædixit pacem Iudæorum. *Tertiò:* in unam hebdomadam ultimam, in qua deficiendum erat sacrificium & hostia usque in finem. Quod utique evenit statim post passionem Christi, nam Christus fuit passus in medio ultimæ hebdomadæ, scilicet 18 Annô Tyberii Cæsaris, qui brevi mortuus, Vespasianum Successorem in throno habuit, cujus Filius Titus funditùs Ierusalem evertit, & Templũ combussit, hucusque, & in finem non reparandum, quod etiam Iosephus amplè descripsit, utpotè præsens hujus excidii.

16 *Probatur 3tiò:* adventus Messiæ ex tam longa ira DEI & Iudæorum captivitate: legitur enim *Amos* 2. *Super tribus sceleribus Isràël convertam, & super quatuor non convertam eum, pro eo; quòd vendiderit Iustum pro argento.*

17 Respondent Iudæi dicentes: per Iustum debere intelligi Joseph, qui à Fratribus, Ismàëlitis fuit venditus pro argento, non verò significatur JESUS.

18. Falsò tamen respondent Judæi, nám

 siquár-

si quartum fuit peccatum Israël venditio Joseph, quod erit primum, secundum, & tertium? Tum quia post venditionem Joseph multa DEUS fecit bona Iudæis, reduxit enim illos in terram promissionis, dedit Reges illis &c. Quod injustum diffugium advertens *Rabbi Samuel* sapientissimus Judæorum, ita scribit ad Rabbi *Isaac* Magistrum Synagogæ in Turcia. *Cum autem Proph: Amos ponat expressè venditionem Iusti, nullusque appareat venditus Justus præter JESUM à Nazareth, mihi videtur, quòd simus in illo quarto maximo peccato, & propterea in captivitate* &c.

19. *Probatur* 4*tò* non solùm advenisse Messiam, verum etiam quòd non fuit alius nisi ipse Christus. Tum quia omnia impleta sunt in JESU quæ prædicta sunt de venturo Messia. Nam *Isaiæ*. 7. Messias nasciturus erat de Virgine: *Ecce Virgo concipiet* &c: quod utique factum est, quia *Lucæ* 1. dicitur: *Missus est Angelus ad Virginem*. Messias in Bethleem nasciturus vaticinatur *Michea* 5. Hoc etiam expletum est in Christo Domino, ut habetur *Lucæ* 2. Messias futurus erat pauper juxta illud *Zachariæ* 9. *Ecce Rex tuus ipse pauper & ascendens super*

Asi-

Asinam. Christus Dominus non habuit ubi caput reclinaret. Unde S. *Bernardus* dicit: *Pauper fuit in Nativitate, pauperior in vita, pauperrimus in morte.* Ascendit etiam super asinam ut videre est *Mat:* 21. Messias tradendus fuerat ad mortem 30 argenteîs ut *Zachar:* 11. *Appenderunt mercedem meam* 30. *argenteîs.* Hæc omnia impleta sunt de Christo.

20. Judæi solent ad hoc dicere, quòd non omnia sunt impleta de Christo, quæ dicta sunt de venturo Messia, nam *Isaiæ* 10. dicitur: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo cubabit, vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Hoc autem non verificatur post Christum.

21. Sed quàm stulti sint Judæi in explicatione hujus scripturæ! patet: nam si hæc literaliter intelligi deberent, nullum exinde venturus Messias honorem haberet, Per istas ergo feras, ferocissimæ intelliguntur Gentes, quæ anteá licèt sibi fuissent inimicæ sicut agnus cum lupo, post susceptam tamen fidem, ita in unum convenerunt, ut puer parvulus, quia servus servorum summus Pontifex, possit minare eos.

 22 Col-

22. Collige 1mò: quòd Judæi in profeferendis & explicandis textibus scripturæ de Messia duplici laborant errore. 1mô, quia plurima quæ de adventu Messiæ ænigmaticè, spiritualiter aut metaphoricè dicta sunt, literaliter intelligunt. 2dò: quia Messiæ, duos non distingvunt adventus, primum, ut Salvatoris ad liberandos homines, secundum ut Iudicis ad judicandos; illum in humilitate, hunc in Majestate & gloria.

23. *Collige 2dò:* quòd Judæi venturum Messiam non sperant esse DEUM & hominem, sed purum hominem fortem & bellicosum. Manifestè tamen vincuntur ab *Isaja* c. 9. dicente de Messia: *Parvulus natus est nobis, & vocabitur Nomen Ejus Admirabilis, DEUS, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.*

24. *Collige 3tiò:* quòd variæ sunt de Christo Judæorum opiniones, vel potiùs blasphemiæ. Aliqui enim dicunt Christū fuisse conceptum de MARIA & Spiritu S, per Spiritum autem intelligunt ipsum Gabrielem, Angelus enim vocatur Spiritus. Et sic tenet Philo, & alij, qui etiam illud *Gen:* 6. explicantes: *Videntes Filij DEI filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi*

uxo

uxores ex omnibus quas elegerant. per filios DEI intelligunt Angelos non verò filios Seth.

25 Alij verò Judæorum, convicti miraculis Christi blasphemant, hæc ab ipso non fieri virtute DEI, sed per Magiam, quæ vocatur *Cabala*, cùm enim JESUS fuerit profugus in Ægypto, ubi hæc ars maximè protunc vigebat, illam didicit, & per ipsam multa signa operatus est, quæ antequam inciperet facere; recessit in desertum, ut se ad ea meliùs præpararet.

Stante autem hac Judæorum opinione, dicendum est pariter contra illos; quòd si Noster Salvator arte & non virtute DEI fecit signa, vester Moyses à fortiori hâc arte deberet agere, & sic vos omnes fefellit, nam ille exprofesso huic arti operam dedit in aula Pharàónis. Tum quia si revertens de ægypto Christus arte patrasset mirabilia; antequam nasceretur, quomodo poterat in cælo novam creare stellam? cujus initium, neque initia nostræ fidei Magi poterant intelligere, etiamsi, *Cabalã* novissent optimè.

26. Collige 4*tò* Iudæos esse pejores in incredulitate Turcîs paganîs, quia Turcæ non detrahunt JESU ita, sicut Iudæi. Quinimo

in Al-

in Alcorano plurimæ Christo adscribuntur laudes, quæ licèt non DEUM, magnum tamen Prophetam DEO acceptissimum confitentur.

Alcoranum enim Turcicum in exordio 4. definitionis inducit DEVM quasi sic loquentem ad Iesum, *Omnium Prophetarum alio per me sublimatō Christo Mariæ filio, animam nostram propriè conferentes, virtutē ei præ Cæteris tribuimus.* Et C. 4. Inducuntur Angeli sic loquentes ad Mariam: *O Maria omnibûs virîs & mulieribûs splendidior mundior & jucundior! ferimus tibi summi nuntij gaudium cum Verbo DEI cujus nomen est IESVS, qui est facies omnium gentium in hoc sæculo & futuro; vir sapiens & optimus ab universitatis Creátore mittitur. Filius Tuus cæcos & mutos curabit, leprosos mundabit, mortuos suscitabit, quæ cuncta credentibus in DEUM miracula censentur, vetus testamentum confirmabit: seque cum D: virtute atque potentia patefaciens, dicet: piè credentes in DEUM me sequimini, DEUS enim mei, vestrique Dominus est, quem adorantes recto procedent tramite &c:* Cap: verò. 10 idem Alcoranum hæc verba habet: *IESUS Mariæ Filius,*

Ver-

Verbum DEI, & nuntius cælitùs Mariæ missus est. Tandem C: 12. inducitur DEUS loquens. *JESUM Mariæ Filium; cui commisimus Evangelium, quod est lumen & confirmatio testamenti & recta via timentibus DEUM ad vestræ legis supplementum misimus O Iudæi! omnis enim Evangelij Servus præcepta ejus sequatur, alioqvin malus erit.* Demum Cap: 13 alloquitur DEUS IESUM ita: *Te ad filios Isràël cum virtutibus meo velle venientem increduli Magum esse perhibent, tu verò de bonis tibi matrique tuæ divinitùs datis mihi gratias age.*

ARTICULUS IV

De Secundo adventu CHRISTI, & de Antichristo.

1. Sciendum est, quòd ante adventum Christi [ut Judicis] ventura est quædam notabilis Persona, quæ communiter vocatur *Antichristus:* eò; quia ante Christum (ut Judicem) præcedet teste scripturâ *Mat:* 24. 2. *ad Thesal.* C. 2. *Apoc:* 20. & alibi.

2. Quando autem venturus est finis mundi? (licèt non sit nostrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate) Sancti tamen Patres hæc fieri opinantur

6000.

6000 Annô ab Orbe condito. Quorum præcipuus est S. *Hieron:* in expos. Psal. 89. ad Cypr: dicens; *Ego arbitror ex hoc loco, ut scilicet: quia mundus 6. diebûs fabricatus est, sex millibûs tantùm annorum credatur subsistere.* Similia habent S. *Hilarius* in C. 17. Mat. S. *Jræneus* lib. 5. cotra Hæret. C. 28. *August.* lib. 10. de Civit. DEI. Hîs tamen clariùs hac in re loquitur *Lactantius Firmanus* lib. 3. C. 14. ait enim: *Sciant igitur Philosophi, qui ab exordio mundi sæculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum, quô numerô expletô consummationem fieri necesse est.*

Hæc Doctorum opinio videtur fundari in antiqua Judæorum traditione, quam *Rabbi Jacob* in Collect: de Christo cap. *Helec.* dicit esse Prophetiam Eliæ 1. *Sectâ Eliæ*, in qua ait: *Sex mille annîs erit mundus, duobûs mille inanitas, duobûs mille lex, duobûs mille dies Christi.* Clara quidem sed incerta Prophetia, qui tamen Judæorum illi adhærent, ipsi se convincunt de adventu Christi, siquidem jam sexmillesimus annus á creatione mundi pridem inchoatus est.

3. Duo autem signa erunt Antichristi.

imum.

1mum Annihilatio Romani Jmperij, ut refert S. *Ambrosius* supra C. 2. Epist. ad Thesal. dicens: *Non priùs veniet Dominus, quàm Regni Romani defectio fiet, & appareat Antichristus, qui interficiet Sanctos*, id est Henoch & Eliam ut inferiùs expressè habet. 2dum signum est; Adventus Henoch & Eliæ ut habetur *Apoc.* 13 v 3. Primum signum præcedet nativitatem Antichristi, secundum verò subsequetur.

4. *Nota* quòd Apostolus loquens de extremo judicio & Antichristo 2 *ad Thesal.* C. 2. dicit: hæc non fieri: *Nisi venerit discessio &c.* Ubi nomine discessionis voluit intelligere devastationem Romani Jmperij ut explicat S. *Hieron.* ad Algasiam quæst. 11. dicens: *Jdeò Paulus id apertè scribere noluit, ne calumniam incurreret, quòd Romano Jmperio malè optaverit, cùm speretur æternum.*

5. Quomodo autem destruetur Romanum Jmperium? non conveniunt Doctores. *Lyranus* enim noster supra C. 2. ad Thesal. intelligit de morali destructione, nempe quò ad fidem; postquam enim aliorum retulerit sententiam dicit *Sed salvô meliori judiciô, mihi videtur meliùs intelligendum*

de recessu à fide Catholica, sicut exponunt aliqui.

S. Methodius tract. de rebus, quæ ab initio fuerunt, & quæ postèá contingere debent; intelligit destructionem Romani Jmperij, quò ad Civilia, & quidem ab uno Francorum Rege, quam sententiam refert *S. August.* tract. de Antichristo: *Quidam vero Doctores nostri dicunt: quòd unus ex Regibus Francorum Romanum Jmperium ex integro tenebit, qui in novissimo tempore erit, & ipse erit maximus & omnium Regum ultimus, qui postquam Regnum suum feliciter gubernaverit, ad ultimùm Hierosolymam veniet, & in monte Oliveti sceptrum & coronam suam deponet.*

Cæteri verò Doctores volunt Romanum Imperium à decem Regibus divisum esse ex quibus Antichristus occidet tres, videlicet Regem Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ, reliqui autem septem submittent ipsi colla. Ita *Iræneus* l. 5. C: 26. *Cyrillus* Cath: 15. *Hyppolitus* de Consum: mundi; explicantes Cap: 7. Dani: ex quibus *S. Hieronymus* supra idem Cap. 7 ait: *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando Regnum destruendum*

struendum est Romanorum decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se dividant & undecimum esse surrecturum Regē, qui tres de decem Regibus superaturus sit, id est Regem Ægyptiorum Africæ & Æthiopiæ, quibûs interfectî etiam septem alij Reges Victori colla committent.

Et hæc sententia est omnium probabilissima, quia illam & pluralitas Doctorum concludit, & S. Scriptura confirmat *Dan:* enim C.7. v. 3. Propheta dicit se vidisse quatuor bestias, quarum cupiens intelligere visiones, petiit ab Angelo edoceri, qui dixit ei: *Hæ quatuor bestiæ, quatuor sunt Regna, quæ consurgent de terra*, ut patet v. 17 ejusd: Cap: & tandem v. 19 dicit de se ipso Daniel: *Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta quæ erat dissimilis valdè ab omnibus &c* usque ad v. 25. inclusivè, & ait Angelus ei v. 28 *Bestia quarta, Regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibûs Regnis. Porrò cornua decem ipsius Regni, decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribûs, & tres Reges humiliabit, & sermones contra excelsum loquetur.* In quibus locis SS. Doctores & *Glossa interlinearis* ac *Ordin:* per Regnum

quartum

quartum, intelligit Romanum Imperium.

6. Antichristus nascetur in Babylonia ex Patre & Matre judæis de Tribu Dan, qui ab initio suæ conceptionis habebit diabolum specialiter sibi assistentem, quem adorabit velut suum Tutelarem, ita S. *August*: tract: de Antichristo dicens: *Nascetur autem ex copulatione Patris & Matris sicut alij homines, non(ut aliqui dicunt) ex sola Virgine*, & subdit: *In ipso veró Conceptionis initio, diábolus simul introibit in uterum Matris ejus, & virtus diaboli semper cum illo erit.* Quòd autem in Babylonia nasciturus sit, immediatè habet idem Doctor: *Sicut Dominus ac Redemptor noster Bethleem sibi providit, sic diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur locum novit aptum, unde radix omnium malorum oriri debeat, scilicet Civitatem Babyloniæ.* Hoc etiam confirmat *D. Thom*: de Humanitate DEI C. 29. *Nascetur Antichr: in Babylonia de Tribu Dan, juxta quod ait Jacob Gen: 49. Fiat Dan coluber in via Cerastes &c.*

7. Quô autem Nomine vocabitur Antichristus, nota ex *Apoc:* 13. Nomen ejus debere componi ex numero 666. habetur enim sic expresse. *Hic sapientia est, qui*

habet

habet intellectum, computet numerum bestiæ, & numeri ejus sexcenti sexaginta sex.

Sciendum verò est, quòd Joannes (ut refert Lyranus) scripsit Apocalypsim græcè, literæ autem nonnullæ apud Græcos significant certos numeros, sicuti apud Latinos C. designat 100. *L.* 50. *&c. Lyranus* ergo supra C. 13 Apoc: dicit: quòd nomen ejus erit *Antemos* quod latinè idem est; ac *Christo contrarius*, nam *A.* apud Græcos significat 1. *N.* 50. *T.* 300. *G.* 5. *M.* 40. *O.* 70. *S.* 200. Qui numeri simul conjuncti faciunt 666.

8. Quia autem Antichristus nascetur de Gente Judæorum, Hebræi videntes illum magnificũ & potentem, eligent illum in Regem, putantes esse Messiam promissum, qui liberaret eos de captivitate diuturna, ut testatur *Cyrillus* Cath: 15.

9. Unde fortificatus brachiô Judæorum, imprimis subjugabit sibi tres Reges nempè Ægypti, Æthiopiæ, & Lybiæ, postèá decem Reges Romanum imperium dividentes, ita; ut universo Orbi imperare videatur, ut patet ex supra dictis num 5.

10. Tunc verò erit intolerabilis persecutio fidelium, nam Præfectos ubique constituet Ju-

tuet Judæos, qui ex innata malitia Christianos plùs Nerone cruciabunt ita; ut publica sacrificia cessare debeant in Ecclesia, & cætum in speluncas recedere necesse erit, ut patet ex *Apoc.* 12. *v:* 6. *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à DEO ut ibi pascant eam diebûs mille ducentîs sexaginta.* Ubi per mulierem intelligit Ecclesiam *S. Methodius* supra C. 11. Apoc.

11 Multi autē ex fidelibus credent in eū propter signa ab ipso per diabolum facta; ut patet 1. *ad Timot.* C. 4. quem locum explicans noster *Lyranus.* ait: *Sicut Salvator præmisit discipulos in omnem Civitatem & locum quô ipse erat venturus, sic & Antichristus præmittet Prophetas suos loquentes spiritu diabolico.* Jllos verò qui credent in illum, signabit signô suô in frontibus, ut clarè habetur *Apoc.* 11. *Et faciet illos habere characterem in dextera manu, aut in frontibus suis, & nè quis possit emere aut vendere nisi qui habeat characterem bestiæ, aut numerum nominis ejus.*

12. Non diu tamen Regnum & crudelitas durabit Antichristi, ut legitur: *Dan:* 12. *A tempore cùm ablatum fuerit juge Sacrifi-*

cium

cium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Dies verò 1290 faciunt menses 42. id est tres annos & dimidium. Ut clariùs habetur *Apoc.* 12. *Et Civitatem Sanctam calcabunt mensibûs quadraginta duobûs.*

13. Post igitur hos tres annos crudelissimos ante suum interitum circa triginta dies, occidet in Hierusalem Henoch & Eliam, qui prædicabunt Evangelium diebûs 1260. juxta illud *Apoc.* 11. *v.* 3. *Et dabo duobûs testibus meis, & prophetabunt diebûs mille ducentîs sexaginta amicti saccîs.* Et paulò inferiùs v. 8. subditur: *Et cùm finierint testimonium suum, bestia* [id est Antichristus] *occidet eos, & corpora eorum jacebunt in platèîs ubi & Dominus eorum crucifixus est.*

14. Postèá tandem ille diabolicus homo faciens se DEUM & Christum, ut ostendat suam gloriam, intrabit in montem Oliveti cum omni suo exercitu quasi in cælum ascensurus, ubi justô DEI judiciô occidetur à S Michàéle; reliqui verò de ejus exercitu, aliqui fulmine, alij verò pestilentiâ morientur, ùt patet *Daniel.* 11. v. 45. & *Apoc.* 20. ac 2. *ad Thesal:* C 2. Quod etiam confirmat *S. Bernardinus Senensis* tomô 2.

de Jud.

de Jud. Gen. serm. 11. loquens de Antichristo ait: *Quem secundùm Apostolum Dominus DEUS noster Christus interficiet Spiritu oris sui, quia secundùm Nicolaum de Lyra, de mandato ejus fulminabitur per ministerium Archangeli Michaëlis, qui etiam interficiet exercitum ejus secundùm Methodium.*

15 Non statim autem sequetur judicium generale, sed post dies 45. Ratio est ex illo *Daniel.* 12. ubi prædicitur crudelitas Antichristi per mille dies ducentos nonaginta, posteà verò subditur: *Beatus qui expectat & pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque.* Ubi ad numerum 1290. adduntur numeri 45. Quod utique fiet ex immensa clementia DEI, út illi, qui propter crudelitatem Antichristi fidem amiserant, iterum ad ovile Christi revertantur.

16. Sed quomodò in tam exiguo tempore universus possit ad Christum converti populus, ita ut possit adimpleri promissio Christi Joan. 10. *Et fiet unum ovile & unus Pastor.* Pro dubio rem istam habet *S. Bernardinus Senensis*; unde oppositum docet tom. 2. de Jud. Gen. serm. 11. dicens. *Ab illo tempore* (id est ab occisione Antichristi) *usque*

sti) *usque ad finem mundi secundùm quosdam parvum non debet esse tempus, nam videntes Judæi se deceptos ab Antichristo, fervidè convertentur. Ex hoc manifestè patet, ab illo tempore usque ad finem mundi tantum spatium temporis debet intervenire, quó totus populus Isràël atque totus mundus convertatur ad Christum.* Sed quidquid sit, de hoc.

17. Jllud certum est, quòd post occisionē Antichristi usque ad judicium generale erunt hominibus dies amarissimi, propter continua cæli signa, pestilentiam, & sonitum fluctuum maris, juxta illud *Lucæ* 21. v. 25. *Erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura Gentium, præ confusione sonitûs maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ supervenient universo Orbi.* Quæ verba explicans noster *Lyranus* dicit se legisse in Annalibus Judæorum 15. signa ante judicium præcedentia.

1mô: enim die: erigetur mare quadraginta cubitîs supra altitudinem montium

2dô: Jta descendet ad Oceanum, ut vix videri poterit.

3tiò: Cum magno rugitu exibunt belluæ,

4*to* arde-

4tô: Ardebit mare, fontes, & flumina.
5tô: Herbæ & arbores dabunt rorem sanguineum.
6tô: Ruent omnia ædificia.
7mô: Petræ scindentur.
8vô: Fiet ita vehemens motus terræ, Ut:
9nô: Die omnes montes ad planitiem redire debeant, unde æquabitur terra.
10mô: Exibunt homines, si qui in cavernis latitabant, & velut amentes præ timore nihil adinvicem loqui poterunt.
11mô: Surgent ossa mortuorum, & stabunt supra sua sepulchra.
12mô: Cadent stellæ de cælo. Unde.
13tiô Die: omnes morientur viventes.
14tô: Ardebit cælum & terra.
15tô: Resurgent omnes ad judicium.

18. Utrùm ista signa sint vera vel falsa *S. Hieron:* neque illa approbat, neq; etiam audet reprobare, ut potè conformia ad dicta Salvatoris *Luc.* 21. ipse tamen *Lyranus* notat, quòd non omnes libros Prophetarum habemus in bibliis, nam Eliæ tam famosi Prophetæ, nullus est specialis liber. Apud Judæos autem sæpiùs citatur sub titulo *I. Sectâ Eliæ* C. vg. 1. Quamvis nunc genuina ipsius verba non reperiantur apud illos, cùm

sint

sint plurimi eorum combusti libri ab Herode Ascalonita(ùt dictũ est superiùs in præc. art] undè poterant hæc signa ex aliquo Prophetarum accipere. Quod probabile puto, quia si DEUS prædixit per Danielem c. 9. devastationem Jerosolymæ, quantò magis congruum fuerat indicare excidium totius mundi?

19. Post hæc itaque signa fiet universalis Resurrectio omnium omninò hominum tam baptizatorum quàm etiam non, quinimò abortiva humana viva resurgent, quæ aliquando in utero Matrum fuerunt animata, nam etiam ista participant naturam hominis. Omnes autem nos absque ulla exceptione oportet stare ante tribunal Christì, ùt docetur 2. *ad Corinth.* C. 5.

20. Hæc verò Resurrectio juxta: *D. Bonaventuram & V. Scotum* probabiliùs fiet mediâ nocte, non verò de die, quia etiam hôc tempore Christus Dominus resurrexit, quod & prædixit *Mat.* 25. *Mediâ nocte clamor factus est, ecce sponsus venit exite obviã ei.*

21. Licèt autem plures tenent Doctores, quòd unusquisque nostrûm resurget in eodem loco, in quo, sepultus fuit, & ab Angelo Custode deferetur ad vallem Josaphat; probabiliùs tamen videtur *V. Scoto* in 4. d.

43. q. 5.

43 q. 5. Quòd solùm pulveres nostræ carnis in locum propinquum vallis Josaphat congregabuntur ab Angelis, juxta illud Matt. 24. *Filius hominis mittet Angelos suos cum tuba & voce magna & Congregabunt electos à quatuor ventis.* qui textus in utramque partem potest retorqueri.

22. Resurgemus autem omnes in plenitudine ætatis Christi, ut patet ad Eph. 4 hoc est in ætate & quantitate illa, quam unusquisque habuit vel habiturus fuit si vixisset ad trigesimum Annum, cum hoc tamen discrimine, quòd electi resurgent undequaq; perfecti, reprobi autē juxta *D. Bonaventuram* Tract: 7. Cap. 5. cum illis defectibus apparebunt, quos habuerunt in vita, nam illorum corpora non erunt ad decorandum, sed puniendum.

23. *Nota* quòd antiquitùs fuit famosa quæstio, in quonam sexu resurgere debeamus? *Origenes* enim (ut refert S. *August.* lib. 22. de Civit. D. C. 7.) legens illud 1. ad Ephes. 4. *donec occurramus omnes in virum*, docebat, tàm mares quàm fæminas resurrecturos esse in sexu masculino, nunc autem conformiter ad mentem Ecclesiæ oppositum docet V. *Scotus* in 4. d. 44. q. 9.

Alias

Aliàs B. Virgo nullum indicium haberet Maternitatis Christi, & cæteræ Virgines suæ Virginitatis.

24. Quamvis autem omnes judicabimur in valle Josaphat ut patet *Jòëlis* 3. v. 2. Non omnes tamen eodem modô stabimus, reprobi enim in valle & circa vallem Josaphat in terra manebunt, Electi verò simul cum Christo in àére apparebunt, ut habetur 1. *ad Thesal.* c 4. *Deinde nos qui vivimus* (in gratia, ut legit Glossa Ordinaria) *rapiemur obviam Christo in àëra.*

25. Sic verò nobis stantibus, apparebit crux fulgida in àére, Sanctis quidem amabilis, reprobis verò multùm horribilis, eò; quòd videntes medium amissæ salutis torquebuntur. Post ostensionem verò Crucis, statim apparebit & Christus justus Judex, ut prædicitur ab illo *Mat.* 24. *Et tunc apparebit signum Filii hominis in cælo, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli.* Quem locum explicans *S. Joan. Chrysost.* hom. 77 ait. *Crux enim sole fulgentior videbitur, cujus autem rei gratiâ istud signum apparet? ut Judæorum impudentia opprimatur; Crucem in suam justificationem secum habens in judicium veniet.*

26. Et tunc

26. Et tunc aperientur libri (id est conscientiæ omnium, ut explicat Lyranus) in quibus apparebunt nostra dicta, cogitata, & facta, sive bona sive mala, ita, ut sancti videant opera damnatorum, & vicissim damnati Electorum, ut probat *V. Scotus* in 4. d. 47. q. 1. ex illo *Isaiæ* 47. *Revelabitur ignominia vestra & videbitur opprobrium tuum.* Quod etiam confirmat *S. Ambrosius* explicans illud 1: *Ad Corinth* 4: *Nolite ante tempus judicare &c.* ait: *In die judicii apparebit, ut & qui despectus habebatur, fortè appareat dignus, & qui aliquid esse putabatur, inveniatur reprobus, omnia enim nuda erunt in die judicij.*

27. *Nota*, Quòd trium librorum scriptura & Ecclesia meminit. *Primus* est ille, qui proferendus est in judicio, de quo *Apoc.* 20. Et per hunc intelligitur uniuscujusque conscientia. *Secundus* est liber *Vitæ*, de quo est mentio *Exod* 32. & per hunc intelligitur decretum prædestinationis. *Tertius* liber *Mortis*, per quem datur intelligi decretum reprobationis, ita explicat noster *Lyranus* supra 20 Apoc. & *S Augustinus* hom. 17. Pro complemento hujus articuli.

28 *Collige imò*, quòd circa judicium generale

nerale duæ in ſacra ſcriptura ſunt ſententiæ ſibi multum oppoſitæ. Nam 1. *ad Corinth* 6. Apoſtolus dicit: *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis ſæcularia?* *Pſalmo* verò 1. dicitur: *Ideò non reſurgent impii in judicio.* Ad concordantiam horum textuum.

29. *Collige 2dò*, quòd *V. Scotus in* 4. d. 47. q. 1. ex *S. Greg.* lib. 26. Moral: c. 20. notat: quatuor eſſe ordines hominum in judicio. Alii enim judicabunt, & non judicabuntur, ut perfectiſſimi. Alii nec judicabunt, nec judicabuntur, ut infideles damnati. Alii judicabuntur & ſalvabuntur, ut mediocriter boni. Alii judicabuntur & peribunt, ut fideles mali. Ex quo patet veritas utriuſque textûs ſuperiùs citati, nam dum Apoſtolus dicit: *Neſcitis &c.* dat intelligi, quòd Apoſtoli ſunt judicaturi Angelos Apoſtatas, & homines juxta promiſſionem Chriſti *Mat.* 19. Quando autem dicitur *Pſal:* 1. *Ideò non reſurgent impii in judicio*, denotatur: quòd impii & reprobi non reſurgent ad judicium cæterorum, judicantes illos ſicuti judicabunt Electi.

30. *Collige 3tiò* ex Lyrano in Mat. 19. quòd judicare tripliciter accipitur. *1mò* principaliter

cipaliter; & sic judicat Judex proferens sententiam. 2*dò* pro illo, qui sedet in loco eminenti juxta Judicem; Et sic dicuntur judicare Assessores Judicis. 3*tiò* Latè: pro approbatione sententiæ Judicis. His præmissis; Certum est de fide, quòd Christus principaliter erit Judex omnium judicandorum, juxta illud *Joán: 5. Pater non judicat quemqvã, sed omne judicium dedit Filio &c:* Certum etiam est, quòd Apostoli & cæteri Sancti perfectissimi, imò & omnes Angeli judicabunt alios, secundô modô, nempe ut Assessores; Ut patet 1. *Corinth. 6. An nescitis, quoniám Sancti de hoc mundo judicabunt.*

31. *Collige 4tò:* quòd licèt Christus Dominus videatur in judicio ab omnibus, tam electis, quàm reprobis, juxta illud *Joan: 19. Videbunt in quem transfixerunt.* Divinitatem tamen Christi reprobi non vibebunt; de solis enim justis, hanc sententiam tulit ipse Judex universi Orbis *Mat. 5. Beati mundo corde quoniam ipsi DEUM videbunt.* Quod etiam confirmat S. *August:* lib. 1. de Trin: c. 13.

32 *Collige 5tò.* Quòd ante judiciũ, erit conflagratio mundi multùm horribilis, cæli enim, terra & àér vehementer ardebunt, quæ conflagratio durabit etiam tempore judicii,

Post la-

Post latam enim sententiam: *Ite maledicti* &c. tota hæc flamma descendet cum damnatis ad Inferos, juxta illud. 2. Petri 3. *Cæli autem qui nunc sunt et terra, servantur igni, novos autem Cælos & novam terrám expectamus &c. Nota* tamem ex *V. Scoto* in 4. d 48. q. 2. quòd Cæli non destruentur, quò ad substantiam, sed solùm immutabuntur & innovabuntur per augmentum luminis, juxta illud: Isaiæ 30 *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter.* Quod etiam confirmat *S. Hieronym:* explicans citatum textum S. Petri, ait: *Novos Cælos expectamus, non alios tamen sed veteres & antiquos in meliùs commutandos.* Solùm ergo (ùt advertit V. *Scotus*) immutabuntur Cæli per hoc, quia & majus lumen habebunt & illorum continuus cessabit motus, ùt patet *Apocal:* 10. ubi dicitur quòd: *Angelus levavit manum suam ad Cælum, & juravit per Viventem in sæcula, quia tempus non erit ampliùs*, consequenter neq; motus, tempus enim juxta Philosophos est mensura motûs.

33. *Collige 6to.* Quòd licet generaliter dicetur à Iudice: *Ite maledicti in ignem*, probabiliùs tamen videtur, quòd Infantes

non baptizati hìc in terra manebunt, non verò ad Infernum descendent (ut volunt ali- qui minùs discreti Authores) *Ratio* est, quia ex una parte hoc recommendat Divi- nam Clementiam, ex altera parte pro solo peccato Originali & alieno sufficit pæna da- mni. Deinde adquid *Deus* Soli & lunæ ad- deret lucem si nullus hìc habitaret, cui e- nim lucerent?

Hæc autem sententia, licet sit piissim- quia tamen nullô fulcitur testimoniô Sacr- scripturæ, hinc: *V. Scot9* in 2. d. 33. medi- am viam tenet, docens: Parvulos descende- re quidem ad Infernum, ibi tamen nullam pænam sensûs, quinimo nec aliquam tristi- tiam de suo statu passuros demonstrat, nam etiam hæc est pæna sensûs, pro qua senten- tia citat Divum *Augustinum* in Enchir. C. 93 docentem: *Pænam parvulorum fore mitis- simam.*

Si tamen vera est illa sententia quæ docet parvulis ante baptismum morientibus dari illustrationes & motiones à DEO in articulo mortis, ut possint elicere desiderium bapti- smi, de quo inferiùs sect. 2. dicendum est consequenter in tali sententia parvulos non solùm futuros esse in inferno, sed etiam de-
bere

bere pati pænam sensûs & damni si non elicuissent baptismi desiderium, siquidem in tali casu peccato originali adjecissent personale, nempe negligentiam in quærenda salute.

SECTIO II.

De Sacramentis in Genere & eorum Effectu

ARTICULUS I

De Sacramentis in Genere.

1. *Quid est Sacramentum?* ℟ juxta V. *Scotum* in 4. d. 1. q. 2. est: *Signum sensibile, gratiam DEi vel effectum ejus gratuitum ex institutione D: efficáciter significans, ordinatum ad salutem hominis Viatoris.*

2. *Quid est Signum* ℟ Secundùm *August:* est illud: *Quod præter sui Cognitionem, ducit nos in Cognitionem alterius.*

3. *Quotuplex est Signum?* ℟ Est Duplex Unum *Naturale:* quod ex natura sua aliquid significat, ut gemitus dolorem. Aliud *Ad Plácitum,* quod ex beneplacito Dei vel hominum aliquid significat. Ut pulsus campanæ devotionem.

4. Item aliud est *Practicum:* quod causat id, cujus est signum. Aliud *Speculativum:* quod non causat id, cujus est signum.

5. *Qualia sunt signa Gratiæ Sacramenta?*

℟ Sunt signa gratiæ *Ad placitum* & *Practica*, nam causant gratiam, non quidem *physicè* (ut vult D: *Thoms* q. 6, art sed *moraliter*, ut docet V. *Scotus* in 4. d. 1. q. 4.

6. *In lege antiqua fuerunt ne Sacramenta causantia gratiam?* ℟ Afirmativè in nullo enim tempore DEUS dimisit Cultores suos absque remedio necessario ad salutem.

7. *Quænam fuerant hæc Sacramenta?* ℟ Ab Adam usque ad Abraham tam pro masculis, quàm fœminis, fuit deletiva culpæ Originalis: *Protestatio fidei à parentibus signô sensibili facta Deo, in venturum Messiam.* Ab Abraham verò usque ad Adventum Messiæ pro Masculis fuit *Circumcisio*, pro fœminis autem fuit eadē *Protestatio fidei* &c. Circumcissio fuit constituta solùm pro Judæis tanquam signum distinctivum illorum à cæteris gentibus. Item esus agni paschalis, oblationes &c. erant Sacramēta, quia significabant gratiam.

8. *Per quid differunt Sacramenta antiquæ legis à nostris Sacramentis?* ℟ Per hoc quia illa non causabant gratiam ex opere operato sicuti novæ legis; vel si causabant gratiam ex meritis venturi Messiæ ut volunt aliqui, non tamen ita uberem sicut causant Sacramenta legis gratiæ.

9.

9. *Quot sunt Sacramenta novæ legis?* ℞ Septem *Baptismus, Confirmatio, Euchariſtia, Pænitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.*

10. *Quare imò ponitur Baptismus, deinde Confirmàtio Euch: &c.* ℞ Quia Baptismus eſt: Janua ad alia Sacramenta, & quia per illum naſcimur in vita Spirituali. Poſtea ſequitur Confirmatio; quia per illam roboramur in hac vita. Per Euchariſtiam: paſcimur. Per pænitentiam à morte vel ægritudine liberamur. Per extremam Unctionem: à reliquis defectibus curamur. Per Ordinem ad dignitatem Eccleſiæ evehimur. Per Matrimonium verò Cætus Fidelium multiplicatur.

11. *Quotuplicia ſunt Sácramenta?* ℞ Alia ſunt *Vivorum*: quæ in Suſcipientibus ſupponunt gratiam, quæ eſt vita Spiritualis animæ. Alia *Mortuorum* quæ in ſuſcipientibus ſupponunt peccatum, ſive Originale ut Baptiſmus, ſive perſonale ut Pænitentia.

12. Jtem Alia ſunt *Formata*. Alia *Non formata*. Prima ſunt illa, quæ ſuſcepta producunt in Suſcipiente gratiam, quæ eſt forma Spiritualis adornans Animam; Et talia ſunt omnia Sacramenta, quoties in

suscipiente non inveniunt obicem. *Nõn formata* verò sunt illa, quæ in suscipiente non causant gratiam. Sic Eucharistia suscepta in peccato mortali, non gratiam sed peccatum, non salutem sed venenum sumenti affert. Ut patet de Juda Jóán: 13 de quo dicitur: *Post buccellam panis, introivit in eum satanas.*

13. Item Alia sunt *Iterabilia*, quæ possunt iterari, & talia sunt 4. *Eucharistia, Pænitentia, Extrema Unctio & Matrimonium* Alia *Non iterabilia*, quæ non possunt iterari, quia indelebilem characterem imprimunt animæ. Et talia sunt tria, Baptismus, Confirmatio & Ordo.

14. Itẽ Alia sunt *De Necessitate*, ut Baptismus & Pænitentia post mortale commissum. Alia *De Præcepto*, ut est Eucharistia saltim semel in annô. Et alia *De Utilitate* ut est Ordo & Matrimonium.

15. *Suntne omnia Sacramẽta Permanẽtia?* ℟ Non sunt, sed omnia *Successiva* præter solã Eucharistiã quæ est permanẽs; Cætera enim post dictam formam desinunt esse in re, & solùm manent in effectu; Eucharistia verò post verba Consecrationis manet.

16. *Suntne omnia æquè digna?* ℟ Utiq; sunt omnia æquè digna & sibi æqualia in ratio-

ne Inſtituentis; omnia enim ſunt ab eodem Chriſto inſtituta. Non ſunt tamen æqualia in ratione Continentis, ut docet *Trid:* ſes: 7. Can. 1 nam alia continent ſolùm gratiam Chriſti, Euchariſtia verò & gratiam & Chriſtum realiter in ſe continet.

17. *Quæ requiruntur ad valorem Sacramenti?* ℟ Juxta Florentinum hæc tria, nempe: *Materia, Forma,* & *Intentio* Miniſtri ac Suſcipientis. Materia & forma, ſunt de eſſentia Sacramenti, Intentio verò eſt Conditio ſine qua non poteſt validè confici Sacramentum.

18. *Quid eſt Materia Sacramentorum?* ℟ Eſt res quædam ſenſibilis ex inſtitutione Chriſti efficaciter ſignificans gratiam.

19 *Quotuplex eſt Materia?* ℟ Duplex *Remota* quæ ſunt ipſæ res ſenſibiles, ut vg aqua in Baptiſmo. *Proxima* verò eſt harum rerum traditio & acceptio.

20. *Quid eſt Forma Sacramentorum?* ℟ Sunt verba à Miniſtro prolata in applicatione Materiæ.

21 *Quis eſt Miniſter & ſuſcipiens Sacramentorum?* ℟ De lege ordinaria eſt ſolus homo viator, quia ſunt inſtituta ad ſalutem hominis Viatoris, ut patet ex definitione Sacramenti in communi.

22. *Quis dicendus est Viator?* ℟. Jlle qui nondum pervenit ad beatitudinem sed est adhuc in hac mortali vita quasi in vià ad Patriam.

23. *Animæ in purgatorio suntne viatores?* ℟. Non sunt, quia non sunt in via merendi vel demerendi, quod est proprium viatoris. Neque etiam sunt in termino, sed máneat in statu medio inter viam & Patriam.

24. *Quot sunt Effectus Sacramentorũ?* ℟. Sunt duo: *Gratia* & *Character*. Gratiam causant omnia Sacramenta licitè & validè suscepta. *Characterem* verò solùm tria: Baptismus Confirmatio & Ordo.

Quid est Intentio? & quæ requiritur tam ex parte Ministri quam Suscipientis? dicetur in 2. Part.

25. *Qualem Gratiam causant Sacramenta?* ℟. Omnia causant gratiam habitualem, & quidem ex opere operato, non tamen omnia primam, sed solùm Baptismus & pænitentia; Reliqua verò quinquè causant per se, & ex institutione sua gratiam habitualem Secundam.

26. *Nota* tamen, quòd Sacramenta quæ ex Institutione sua causant gratiam secundam, possunt per accidens causare gratiam pri-

primam & delere peccatum mortale, ut vg ſi quis accederet ad Euchariſtiam cum peccato mortali inculpabiliter oblito & non confeſſo, in tali caſu per Euchariſtiā & deleretur illud peccatum, & cauſaretur gratia prima, licet poſtea teneretur confiteri illud poſt reminiſcentiam, ut ſaſtisfaciat præcepto Divino.

27. *Æqualemne cauſant Gratiam in omnibus Sacramenta?* ℞. Affirmativè ſi ſuſcipientes ſint æqùaliter diſpoſiti, ſecùs verò ſi inæqualem diſpoſitionem habeant quia ſic juxta menſùram maioris vel minoris diſpoſitionis eorum, maior vel minor cauſabitur gratia, ut docet *Trid* Seſ. 6. c. 7.

28 *Ultra enumeratam gratiam cauſantne àdhuc aliam Sacramenta?* ℞. Utiq; cauſant Gratiam ſpecialem quæ comuniter vocatur Gratia Sacramentalis.

29 *Quid eſt Gratia Sacramentalis?* ℞. Eſt Speciale auxilium dandum tempore opportuno homini ſuſcipienti aliquod Sacramentum. Vel ſecundùm alios: Eſt jus ad recipienda auxilia concernentia ſuſceptum Sacramentum. Sic per Baptiſmum præter Gratiam primàm & characterem, recipit Infans ius ad habenda auxilia, quibus tem-

pore necessario in fide, spe, & charitate confirmetur. Per Confirmationem, recipit jus ad habendum robur, ut fortiter resistat Tyranno. Per Ordinem, accipit ordinatus Jus ad habenda auxilia, ut dignè possit exercere susceptum Ordinem.

30 *Quid est Character?* ℞. Est: *Signum spirituale indelebiliter impressum animæ per quod homo insignitus differt ab alio non habente illud.* Differt à Gratia quia hæc licet sit signum spirituale, non tamen indelebile, siquidem amitti potest, ut patet in peccatoribus post mortale comissum character verò nunquam amitti potest

31. *Quotuplex est Character?* ℞. Est triplex. 1. *Baptismi* per quem homo Christianus differt à non Christiano. 2 *Confirmationis.* per quem unus differt ab alio, tanquam miles fortis ab infirmo 3. *Ordinis.* per quem unus homo differt ab alio, tanquàm perfectus ab imperfecto.

32. *Quando Gratia & Character à Sacramentis causatur?* ℞ Tunc: quando applicatur integra materia & forma; Cum hoc tamen discrimine, quòd gratia solùm recipitur tunc quando & validé & etiam licitè recipitur Sacramentum. Character

verò

verò imprimitur, etiamsi illicitè accipiatur Sacramentum, dummodo validè quia non opponitur peccato sicut gratia.

33. *Quid & quot sunt Sacramentalia?* ℟. Sunt quædam Ceremoniæ ab Ecclesia institutæ ad solemnem ritum Sacramentorum. Sunt autem septem, hoc versu expressa.

Orans, Tinctus, Edēs, Confessus, Dans, Benedicens.

Orans significat orationem Dominicam. *Tinctus* Aspersionem aquæ benedictæ. *Edens* Sumptionem panis benedicti. *Confessus* Confessionem generalem. *Benedicens* significat benedictionem Episcopi.

34. *Per quid differunt Sacramentalia à Sacramentis?* ℟. Per hoc quià hæc fuerunt à Christo instituta. & causant gratiam ex opere operato, Sacramentalià verò sunt instituta ab Ecclesia & causant gratiam ex opere operantis.

35. *Quinam est Effectus Sacramentalium?* ℟. Remissio venialium & alia auxilia actualia.

ARTICULUS II.
De Gratia.

1. *Quid est Gratia?* ℟. Gratia in communi est: *Donum Dei gratis nobis datum.*

2.

2. *Quotuplex est Gratia?* ℟. in ima sui divisione est duplex, *Naturalis & Supernaturalis* Prima est, donũ Dei naturale, quod Deus potest non conferre creaturæ sine ulla illius injuria. Et hujusmodi est vg. Status nobilis, memoria, sanitas & cætera talenta naturalia. Gratia *Supernaturalis* est donum Dei gratuitum, Supernaturale, creaturæ rationali conferibile ex meritis Christi, ordinatum ad consequendum finem Supernaturalem.

3. Gratia Supernaturalis Alia est *Supernaturalis quò ad substantiam*, quæ est indebita omni naturæ creatæ, uti est Gratia Sanctificans &c. Et Alia *Supernaturalis quò Ad modum*, quæ solùm in aliquibus circumstantijs est indebità. Talis esset gratia vg. sapientia, si illam Deus alicui infanti infunderet.

4. Jtem Gratia Dei Alia est *Interna* & Alia *Externa*. Prima est illa, quæ hominem interiùs afficit, sive per modum permanentis, ut est gratia Habitualis, sive transeuntis ut est gratia actualis. Gratià verò *Externa* est illa, quæ hominem interiùs non afficit, sed tantùm movet sensus, ut est vg. Prædicatio, miracula &c.

5.

5. Gratia Interna Alia est *Gratis data*. Alia *Gratum faciens*: Prima est illa quæ alicui à Deo datur principaliter propter salutem aliorum. Ut est vg. Gratia prædicandi &c. Et hæc dividitur in præcipuas novem species ut videre est ad *Ephes: c.* 4. Gratia verò *Gratum faciens* est illa, quæ ptincipaliter datur alicui propter ipsius salutem Ut est *vg.* Gratia iejunandi, meditandi, &c.

6. Gratia Gratum faciens, Alia est *Actualis* quæ est, auxilium actu à Deo alicui collatum. Alia *Habitualis* quæ est: *Qualitas spiritualis infusa à Deo, permanenter inhærens animæ & sanctificans illam.*

7. Gratia Actualis. Alia est *Excitans* per quam à peccato retrahimur & quasi à somno mortis excitamur. Alia *Adjuvans* per quā à Deo in nostris bonis operibus adjuvamur. Prima vocatur *Antecedens* quia antecedit actum voluntatis nostræ. Secunda verò dicitur *Concomitans* quia adjuvando voluntatem, est quàsi comes illius.

8. Gratia Excitans Alia est *Sufficiens* & Alia *Efficax* ima est illud auxilium Dei, à quo quidem excitamur, illi tamen non consentimus *Efficax* verò est illud auxilium cui consentimus, unde quia efficit hoc in nobis

ad quod nos excitat, ideo vocatur efficax.

9. *Quotuplex est Gratia Habitualis?* ℟. duplex: *Prima*, quæ ante se aliam non supponit Et. alia *Secunda*, quæ ante se aliam supponit, & hæc est augmentum gratiæ primæ.

10. *Quot sunt Effectus Gratiæ Habitualis?* ℟. Ex S. Scriptura & SS Patribus sex cõmuniter numerãtur. 1. *Adoptio* in Filios Dei juxta illud Psal. 81. *Ego dixi Dij estis, & Filij excelsi omnes.* 2. *Effectus* est virtus efficiendi hominem Deo charum. 3. Vita spiritualis 4. Origo & radix omnium virtutum. 5. Virtus nos intimè conjungendi Deo. 6. Remissio peccatorũ & semen vitæ æternæ.

11. *Præter enumeratas Gratias iterũ quotuplex est Gratia?* ℟ 2plex *Una Ex opere operato* id est ex meritis Christi. Alia *Ex opere operantis* idest ex meritis ipsius operantis.

12 *Dat ne DEUS omnibus sufficientẽ Gratiam?* ℟. Affirmativè quia juxta Apostolũ 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire* Propter quod testimonium Scripturæ non minùs piissimè quàm Sapienter docuit in sua Theologia ex nostris P. Tyszkowski quòd illis infantibꝰ qui sive in utero matrũ sivè aliô

quo-

quocunq; modô moriuntur absq; baptiſmo, probabiliter DEUS ex ſua immenſa miſericordia ſolet dare uſum rationis in inſtanti ſeparationis Animæ à corpore ut poſſint elicere baptiſmi deſiderium. Ratio eſt quia aliàs DEUS non vellet ſincerè ſalutem illorum ſi permiſiſſet remedium ad illorum ſalutem neceſſarium à fatali cauſarum ſecundarum dependere concurſu. Tum quia hoc multùm recommendat Clementiam DEI, qui vult omnes ſalvos fieri, unde S. *Auguſt.* lib. 4. contra Jul. C. 8. ait: *Nunquid parvuli, homines non ſunt, ut non pertineant ad id quod dictũ eſt: DEUS vult omnes homines ſalvos fieri?*

Pro Complemento hujus Articuli.

13. *Collige imò* qùod circa annum 500. *Pelagiani* dicti à Pelagio Monacho Britanno docebant hominem ſolis vìribus naturæ absq; ulla gratia poſſe ad tám ſublimem pervenire ſtatum, ut in illo impeccabilis exiſtat. *Semipelagiani* verò aſſerebant, ad initium meritorum noſtrorum non eſſe neceſſariam gratiam, ſed initium ſalutis eſſe à nobis.

14. *Collige 2dò* quòd tres ſunt ſtatus in quibus defacto fuit natura humana. *Primus* eſt ſtatus *Innocentiæ* in quo vixerunt primi Parentes ante peccatũ. *Secundus* ſtatus eſt

Na-

Naturæ lapsæ, inquo fuerunt omnes homines post peccatum Adæ excepta B V. Mariâ. *Tertius* status est *Naturæ Reparatæ* inquo sunt redempti à Christo Domino.

15. Jn omni statu fuit necessaria homini gratia Dei nam in statu innocentiæ licet homo fuerat undequaq; perfectus, videlicet intellectu acuminosus, voluntate Sanctus conscientiâ Innocens, nihilominùs etiam cum his dotibus, in peccatum fuit adhuc labilis, uti notat S. *Augustinus* lib de Grat: c. 11. dicens; *Illam gratiam non habuit primus homo quâ nunquam vellet esse malus sed hanc habuit; in qua si permanere vellet, nunquam malus esset.* Hæc autem gratia, quam Deus conferebat Adæ ante peccatum, solet à Theologis vocari, *Gratia sanitatis* eò quia dabatur homini sano.

16. In statu naturæ lapsæ multò magis homo indigebat gratiâ Dei, nam crudeli sauciatus vulnere, in intellectu expertus est cæcitatem, in voluntate deploravit peccatum, in conscientia lachrymavit labem. Parùm est tot & tantis D. justitiæ ultio non contenta supplicijs, miserrimæ mortis in eum tulit sententiam, & nisi in carne vixisset Homo Deus, totum Genus humanum mortem lueret

ætern;

æterno cruciatu minimè finiendam. Et hæc gratia, quam in ſtatu naturæ lapſæ venenato homini Divina tribuit clementia, ſolet appellari Gratia *Medicinalis*, quia velut pharmacum infirmo homini ſanitatem reſtituit.

17, In ſtatu etiam naturæ reparatæ, adeò in nobis ille originalis dominatur morbus, ut niſi gratia Dei hominis debiles ſtabiliret vires, absq; dubio iterum in mortalem laberetur foveam, continuò enim in ſe domeſticum agnoſcit bellum. juxta illud: ad Galat. C. 5. V. 17. *Caro concupiſcit adverſùs ſpiritum ſpiritus autem aduerſùs carnem*, quorũ inceſſantẽ luctã absq; luctu ſentire nemo fatebitur. Habemus tamen inter has vitæ noſtræ anguſtias, illud auguſtum ſolatium: quia poſt reparatam ſalutem, homo per gratiam ſanctificatur in baptiſmate, per actualia auxilia roboratur in vita, & per merita tandem poſſidet regna Cæleſtia.

ARTICULUS III.

De Peccatis in Genere

1. *Quid eſt Peccatum?* ℟. Juxta V. Scotum in 2. d. 37. eſt: *Privatio debitæ rectitudinis ad legem, quam voluntas in ſuo actu procurare tenetur.*

2 *Quo-*

2. *Quotuplex est Lex contra quam peccatum potest committi?* ℟. Est triplex: scilicet *Lex naturæ* ut est vg: hæc: *quod tibi non vis alteri ne facias.* 2. *Lex Divina*, ut est vg hæc: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* 3. *Lex Ecclesiastica*, ut sunt vg: quinque præcepta Ecclesiæ, Constitutiones, Canones &c.

3. *Quotuplex est Peccatum* ℟. duplex *Spirituale* & *Carnale*. Primũ est illud, quod immediatè ad animam pertinet, ut: superbia, odium &c. Carnale est, quod tendit ad inordinatas delectationes corporis. ut Luxuria, Ebrietas &c.

4. Utrumq; Aliud est *Philosophicum* & Aliud *Theologicum*. Primũ est dictum vel factum aut concupitum contra legem naturalẽ seu dictamen naturæ rationalis. Secundum verò est dictũ vel factũ, aut concupitum contra legem Dei.

5. Item aliud est *Cõmisionis*. Et Aliud *Omissionis* Primũ est trangressio præcepti negativi. Secundum est transgressio Præcepti positivi. Quid est Præceptum positivum & negativum? vide superiùs Pag 5, n. 13,

6. Item Aliud est peccatùm *Contra DEUM* (scilicet immediatè) ut Blasphemia. Aliud

Con-

Contra proximum uti Diffamatio. Et Aliud *Contra se ipsum* ut est vg. Ebrietas.

7. Item Aliud est *Cordis* ut prava desideria. Aliud *Oris*, ut infamationes. Et Aliud *Operis*, ut omne opus factũ contra legẽ DEI.

8. Jtem Aliud est *Originale*, quod est carentia Jùstitiæ originalis transfusa ab Adamo, per virtutem seminalem in posteros Aliud *Personale*, quod est prævaricatio Legis à propria persona facta.

9. Peccatum Personale Aliud est *Actuale*, quod est actualis prævaricatio Legis Divinæ. Aliud *Habituale*, quod est macula quædam relicta ex peccato actuali moraliter in anima permanens.

10 Utrumq; Aliud est, *Mortale*, quod adfert mortem animæ. Vel juxta V. *Scotum* in 2. d. 21, q. 1. est: *Privatio rectitudinis debitæ ad Deum beatificè consequendum*. Aliud *Veniale* quòd non adfert mortem animæ. Vel juxta V. Scotum, est: *Privatio rectitudinis non necessariæ. sed solùm utilis ad Deum beatificè consequendum*

11. *Quæ requiruntur ad Peccatum Mortale?* ℟ Hæc tria: 1. Ex parte intellectûs plena advertentia & deliberatio. 2. Ex parte voluntatis perfectus consensus. 3. Gravi-

tas

tas materiæ. Ex quibus si unũ desit, fiet veniale quod aliàs ex se esset mortale.

12. *Quotuplex est Peccatum Mortale?* ℟. duplex, Unum est tale *Ex genere suo*, quod scilicet est, contra legem graviter obligantem. Et Aliud est Mortale *Per accidens* solùm, nempe ex circumstantijs adiunctis.

13. *Quotuplex est Veniale?* ℟. Etiam est duplex: Unum est tale *Ex Genere suo*, quod est contra legem leviter obligantem. Et aliud est veniale *Per accidens*, quod scilicet estò sit contra legem graviter obligantem, quia tamen hìc & nunc committitur absq; plena advertentia, aut libertate, ideo ratione talis circumstantiæ Veniale efficitur.

14 *Quotupliciter Peccatum Mortale ex genere suo potest transire in veniale?* ℟. Tripliciter 1. Ex parte intellectûs, si non habeatur perfecta deliberatio seu advertentia malitiæ peccati. 2. Ex parte voluntatis, si non adsit perfectus consensus. 3. Ex parte materiæ si hæc sit parvi momenti.

15 *Quot modîs Peccatum Veniale ex Genere suo potest trãsire in mortale?* R quinq; modìs. 1. Ratione conscientiæ erroneæ aut scrupulosæ, si videlicet ille actus qui ex natura sua est levis judicetur esse gravis. 2. Ratio-

tione contemptûs aut inobedientiæ formalis. 3. Ratione nimij affectûs in rem aliquã, si nimirum hæc ita appretiativè æstimetur ut peccator sit paratus potiùs præceptum DEI sub mortali obligans transgredi, quàm illam omittere. 4. Ratione ruinæ & periculi Proximi imminentis per talẽ actũqui ex natura sua est levis 5. Ratione periculi incidendi in mortale, quando nimirum aliquis absq; sufficienti cautela facit id, per quod facilè labitur in mortale; talis enim ex quò non vitat proximum peccandi periculum, jam eò ipsò animæ suæ contemnit salutem, nam: *Qui amat periculum peribit in illo.*

16. *Peccatum Veniale potestnefieri mortale propter sui multiplicationem?* ℟. Quòd S. *Aug.* tract. in Epist. Joan. videtur concedere dum ajt: *Multa peccata levia faciunt unum grande, multæ guttæ implent flumen. &c.* Et Serm. 41. de Sanctis dicit: *Nõ solùm majora, sed etiam minora, si nimirum plura sunt, mergunt.* Similia habet verba Epist. 198.

17. Communis tamen Doctorum opinio negat veniale propter sui multiplicationem posse fieri mortale ut patet ex illo *Prov.* 14 *Septies in die cadit justus*, ubi vocatur justus

eti.

etiamsi septies, id est sepiùs venialiter peccet. Tum quia duo peccata venialia non opponuntur gratiæ sanctificanti: ergo neq; viginti aut centū. cùm sint ejusdē rationis

18. *Quomodo Peccata inter se speci- differunt?* ℟. Per ordinem ad diversas specie perfectiones & rectitudines quibus privantur: Ratio est, quia peccatum consistit in privatione rectitudinis debitæ ut constat ex ejus definitione; sed privatio specificatur à forma cujus est privatio: ergo &c. Ex quo patet, quòd non solùm illa peccata sunt specie diversa quæ diversis specie opponuntur virtutibus aut præceptis, sed etiam quæ opponuntur eidem præcepto aut virtuti sub diversa ratione formali. Sic vg. perjurium & voti prævaricatio, licet eidem Religioni opponantur, quia tamen sub diversa ratione formali, ideo sunt peccata specie diversa.

19. *Pluralitas* itaque *Specifica* peccatorum debet attendi, vel ex pluralitate objectorum specie diversorum, ut est homicidium & furtum. Vel ex eodem objecto plures tamen malitias specie diversas habente, ut est vg. homicidium Clerici & sæcularis. Vel tandē ex objecto & fine specie diversis ut vg. dū quis alium occidit ut ejus bona rapiat.

20. *Pluralitas* verò *Numerica* peccatorũ sumenda est, vel ex actibus & objectis numerô distinctis, ut dum quis peccat cum Anna & Joanna. Vel solùm ex actibus numerô distinctis; ut si cum una sed pluries. Vel tandem esto sit unus numerô actus, dicit tamen respectum ad plura numerô objecta, ut si quis unô ictu plures occideret homines.

21. *Quotuplex est Causa peccati:* R. duplex *Externa* & *Interna*. Primi generis sunt duæ causæ. nempe *diabolus* & *mundus* juxta illud 1. *Pet.* c. 5. *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Et *ad Gal.* c 5 *Caro concupiscit adversùs spiritum.* Causa *Interna* peccati est triplex nempe; *Ignorantia* (puta vincibilis) *Passio* & *Malitia*: Ratio est, quia aliqui peccant ideò, quia ignorant id esse peccatum quod faciunt. Vel ideò peccant, quia passione ad peccatum rapiuntur juxta illud *Iacobi* 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Vel tandem peccant non ex aliquo defectu, sed ex industria & malitia uti de aliquibus dicitur *Iob* 22. *Qui quasi de industria recesserunt à DEO* Et hoc peccatum juxta V. *Scotum* in 2. d. 6. q. 1. judicatur esse maximum, eò; quia est

ex electione. Unde malitia est causa per se illius.

21 *Quot sunt Effectus Peccati?* ℟. Sunt quatuor 1. peccatum inducit pœnam temporalem si sit veniale, vel æternam, si sit mortale. 2. Minuit plurima auxilia gratiæ DEI, quæ ad benè operandum conferri solent. 3. Relinquit in anima maculam & deformitatem, quæ est peccatũ habituale, quod juxta V. Scotum in 4. d. 14. q. 1. consistit in obligatione contracta ex actu peccaminoso, statim enim post peccatum commissum obligatur peccator ad pœnam sceleri correspondentem. 4. Tandem peccatum ponit impedimentum ad benè operandum juxta illud *Iob 8. Factus sum mihimet ipsi gravis*, id est difficilis ad operandum.

23 *Quæ excusant à Peccato?* ℟. Hæc tria: 1. Defectus liberi consensûs. 2. Jnadvertentia ad malitiam peccati. 3. Jgnorantia.

JGNORANTIA.

24. *Quid est Jgnorantia?* ℟. Est privatio scientiæ eorũ, quæ ignorans natus est scire.

25. *Quotuplex est Jgnorantia?* ℟. Duplex *Positiva* & *Negativa*. *Positiva* est, quæ simul cum nescientia includit positivum intellectûs errorem; & hæc Jgnorantia voca-

tur aliter: *Malæ dispositionis*. *Negativa* est pura carentia cognitionis de re scienda; & hæc aliter dicitur: *Puræ privationis*.

26 Item alia est *Vincibilis*, quæ studiô & diligentiâ vinci potest. Et alia *Invincibilis*, quæ nullô studiô ac diligentiâ saltim moralî vinci potest.

27. Ignorantia Invincibilis est duplex: *Physica* & *Moralis*. Prima est, quam homo nullâ possibili diligentiâ repellere potest; talem habet ignorantiam de colore cæcus. Secunda est, quam homo non potest repellere per studium & diligentiam debitam juxta exigentiam & qualitatem naturæ; sic v.g. Rusticus ignorat Logicæ præcepta.

28. Ignorantia Moralis duplex est. *Culpabilis* & *Inculpabilis*. *Culpabilis* habetur quando quis potest & debet scire aliquid, & tamen negligit. *Inculpabilis* habetur, quando quis vel non potest, vel non tenetur scire. Prima vocatur: *Consequens*, quia consequitur ad aliquem actum voluntatis. Secunda verò dicitur: *Antecedens*, quia antecedit voluntatis actum.

29. Ignorantia Culpabilis seu consequens, alia est *Affectata*, quæ habetur ex defraudatione voluntatis, quæ non vult edoceri ve-

ritatem ut liberiùs peccet. Et hæc est directè volita & quæsita, ut si v.g. exeas de templo, ut non audias promulgari jejunium. Et alia *Crassa*, quæ provenit ex negligentia cognoscendi illa, quæ aliquis scire debet; quòd si erit magna negligentia, vocabitur Ignorantia Supina & Crassa, si verò levis dicetur Simplex.

30. Ex parte Objecti alia est Ignorantia *Juris*, quæ est circa leges vel obligationem legum. Et alia *Facti*, quæ est de aliquo facto vel non facto. Prima haberetur, si quis ignoraret hanc esse legem, v.g. *Non occides.* Secunda haberetur si quis ignoraret an jaculando occiderit Petrum, nec ne.

31. *Quæ ignorantia excusat à Peccato?* ℞. Sola Ignorantia Invincibilis, tam Iuris, quàm Facti. Ratio est, quia juxta *D. Augu:* & omnes DD. non est peccatum, nisi voluntarium; Ignorantia autem Invincibilis facit actum involuntarium, ut docet *Arist:* 3. Ethic.

CIRCUMSTANTIÆ.

32. *Quid & quot sunt Circumstantiæ peccatorum?* ℞. Nomine circumstantiæ debet intelligi illa ratio, quæ auget vel minuit malitiam actûs peccaminosi; sunt autem tales cir-

cum-

cumſtantiæ ſeptem hoc versu expreſſæ.

Quis, Quid, Ubi, Quibûs auxiliîs,
Cur, Quomodo, Quando.

34. *Quotuplices ſunt Circūſtantiæ peccatorum?* ℞. Duplices: *Formales*, quæ ſe tenent ex parte actûs peccaminoſi. Et *Objectivæ*, quæ ſe tenent ex parte objecti. Exemplum utriusq; ſit de cogitatione libidinoſa, vg: ſi fuit cum conſenſu, longo tempore, nimis intenſa, jam ex parte actûs eſt circumſtantia aggravans, ſi verò talis cogitatio fuit de perſona non libera ſed conjugata, vel Deo dicata, jam erit ex parte objecti circumſtantia addens malitiam tali cogitationi.

35. *Quotuplices ſunt Circumſtantiæ Objectivæ?* ℞ Juxta *V. Scotum* in 4. d. 17. q. 1. ſunt duplices: Aliæ *Mutantes ſpeciem peccati*, Aliæ verò *Non mutantes*. Primæ ſunt illæ, quæ transferunt actum peccaminoſum de una ſpecie peccati ad aliam. Non mutantes verò ſunt illæ, quæ actum peccaminoſum non transferunt ad aliam ſpeciem, ſed ſolùm ejus malitiam augent, vel minuunt, ſic vg. Homicidium: ſi erit occiſio ſimplicis hominis, erit ſimplex homicidium, ſi verò erit occiſio perſonæ ſacræ, erit Sacrilegium,

36. *Debetne Pænitens exprimere in confessione omnes circumstantias peccati?* ℞. Circumstantias mutantes speciem peccati tenetur unusquisq; exprimere in confessione, ut mandat *Trid* ses 14. c. 5, Circumstantiæ autem notabiliter aggravantes peccatum in eadem specie, An sint necessariò aperiendæ nec ne? utrumq; est probabile apud Doctores, eò: quia Conc. *Trid.* de talibus circumstantiis nihil apertè concluserit,

37. *Præter enumeratas circumstantias suntne adhuc aliæ?* ℞. Sunt, quæ licet non transferant actum peccaminosum ad aliam speciem peccati, in infinitum tamen aggravant ejus malitiam, eò, quia ex veniali faciunt peccatum mortale ut vg. Ablatio acûs quia est in levi materia erit peccatum veniale, si tamen illam auferas Sartori pauperi, qui prædictâ acu sibi ac suæ familiæ victum parabat, erit peccatum mortale.

39. *Tales circūstantiæ debentne in confessione necessarió exprimi?* ℞ Affirmativè ut docent communiter omnes Doctores, aliàs judicaretur à confessario peccatum esse leve, quod est gravissimum.

ARTICULUS IV.

De Peccatis in Specie

1. *Quot sunt Peccata Capitalia?* R. Sunt septem: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Jra & Acedia.

2. *Quare dicuntur Capitalia?* ℟ Idèó quia sunt capita & radices aliorum peccatorum.

3. *Quid est SUPERBIA?* ℟ Est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.

4. *Quotuplex est Superbia?* ℟ Duplex: *Perfecta* & *Jmperfecta*. Prima est, per quã superbus ita excellere cupit, ut DEO & superioribus subijci nolit. Jmperfecta est per quam peccator non renuit quidem subijci illis quibus debet, appetit tamen excellere & eminere supra cæteros; 1ma est peccatum mortale ex genere suo, 2da verò est veniale, nisi adsit notabilis aliorum contemptus.

5. *Quæ est Origo Superbiæ?* ℟ *Philaucia*, quæ est inordinatus amor sui ipsius, priùs enim ordinariè peccator amat seipsũ vg. ratione pulchritudinis, scientiæ, fortunæ &c. & postea judicat se esse digniorem cæteris contemnendo ipsorum consortium, aut saltim appetendo esse similis suis Superioribus & Dominis, sicut fecit diabolus, qui probabiliter priùs peccavit peccatô

Philauciæ, & tandem in superbiam elatus appetijt esse similis Altissimo.

6. *Quot sunt Filiæ superbiæ?* ℟ Sunt istæ tres: Vana gloria, Præsumptio & Ambitio.

Vana gloria est: Cupiditas inanis gloriæ.

Præsumptio est appetitus aggrediendi aliquid supra vires

Ambitio est inordinatus appetitus dignitatis & honoris indebiti, vel debitô majoris.

7. *Quale peccatum sunt Filiæ superbiæ?* ℟ Per se sunt peccatum veniale, fieri tamen possunt mortale ratione materiæ, finis aut mediorum, quibus honor indebitè quæritur.

8. *Quid est AVARITIA?* ℟ Est inordinatus divitiarum appetitus.

9. *Quale est peccatum Avaritia?* ℟ Est per se veniale, nisi ita sit intensus divitiarū appetitus, ut causâ ejus vilescat observatio præceptorum DEI & Ecclesiæ.

10. *Quot sunt Filiæ Avaritiæ?* ℟ Sunt istæ tres: Obduratio cordis, Jnquietudo mentis, & Fraus sive Dolus in facto.

Obduratio cordis, tribûs modîs evenire potest 1. Egenis & pauperibus non compatiendo. 2. Debita nimìs durè exigendo. 3. Creditori (si adsit) non solvendo.

Jn-

Jnquietudo mentis, Eſt vehemens & inordinata applicatio intellectûs ad acquirendas vel conſervandas divitias.

Fraus eſt: Doloſa locutio aut fraudulentum opus habitum cum proximo in ordine ad acquirendas vel conſervandas divitias.

11. *Quid eſt LUXURIA?* ℟ Eſt: Jnordinatus appetitus Venereorum.

12. *Quale eſt peccatum Luxuriæ?* ℟ Eſt mortale ex genere ſuo.

13. *Quot ſunt Filiæ Luxuriæ?* ℟ Sunt Octo, quarum quatuor ſe tenent ex parte intellectûs, & quatuor ex parte voluntatis.

14. *Quot ſunt ex parte Intellectûs!* R. Sunt quatuor: 1. Cæcitas mentis, quæ habetur tunc, quando ita eſt addictus intellectus alicui turpitudini, ut de cæleſtibus ampliùs non permittatur cogitare. 2. Præcipitatio. 3. Jnconſideratio. 4. Jnconſtantia.

15. *Quot ſunt ex parte Voluntatis?* ℟. Sunt quatuor 1. Amor ſui. 2. Odium DEI 3. Affectus præſentis ſæculi 4. Horror futuræ vitæ.

16. *Quid eſt INVIDIA?* ℟ Eſt Jnordinata triſtitia de alterius bono, prout illud eſt diminutivum propriæ excellentiæ.

17. *Quale eſt peccatum Jnvidia?* ℟ Eſt

mortale ex genere suo, & quidem est peccatum in Spiritum S. si sit tristitia de ipsa gratia vel auxilio DEI.

18. *Quot sunt Filiæ Jnvidiæ?* ℟ Sunt quatuor- 1. Odium proximi. 2. Detractio. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Susurratio, quæ est Oblocutio mala de proximo ad tollendam amicitiam ipsius cum alijs, quam Susurro restituere tenetur, non minùs quàm detractor famam.

19 *Quid est GULA?* ℟ Est inordinatus appetitus cibi & potûs.

20. *Quale est peccatum Gula?* ℟ Ex genere suo est veniale, nisi ita excedat, ut opponatur charitati DEI, aut proximi, vel sui ipsius, si vg. usq; ad vomitū quis edat vel bibat, quamvis etiam in isto casu veniale putet esse peccatum Laym. l. 3. S. 4. n. 5.

21. *Quot modìs fit Gula?* ℟ Quinq; modîs. 1. Si edas ante tempus. 2 Si nimìs exquisita. 3. Si nimìs exquisitè præparata. 4. Si plùs justò comedas aut bibas. 5. Si voraciter.

22. *Quot sunt Filiæ Gulæ?* ℟ Sunt quatuor. 1. Hebetudo mentis. 2. Jnepta lætitia 3. Multiloquium. 4. Scurrilitas.

23. *Quid est JRA?* ℟ Est Jnordinatus vin-

di-

dictæ appetitus. Dicitur *inordinatus* appetitus, quia non omnis appetitus vindictæ est peccatum iræ, juxta illud *Psal* 4. *Irascimini & nolite peccare*; sæpiùs enim Superiores irascuntur puniendo culpam subditorum, & tamen non peccant, si ordinatè id faciunt.

24. *Quotuplex esse potest Inordinatio in ira?* ℟ Duplex: Una exparte modi inrascendi, ut si vg. nimiùm interiùs exardescas, vel exteriùs nimìs per signa patefacias iram. Altera Ex parte objecti, ut si vindictam appetas injustam ob causam, vel justò majorem. Jra inordinata imô modô est peccatum veniale ex genere suo, nisi adsit maledictio, aut scandalum; 2dô verô modô inordinata ira. est peccatum mortale ex genere suo, quia est directè contra charitatem.

25. *Quot sunt Filiæ Jræ?* ℟ Sunt decem; quarum aliquæ sunt in Corde, ut; indignatio & tumor mentis. Aliquæ in Ore ut; clamor, blasphemia, contumelia & maledictio, Aliæ tandem sunt in Opere, ut rixæ, pugnæ, seditiones & vulnera.

26 *Quid est ACEDIA?* ℟ Est fastidium rerum spiritualium.

27. *Quotuplex est Acedia?* R. Duplex Genera-

neralis & *Particularis*. Prima est quælibet animi remissio in exercitio virtutum, eò quòd aliquis labor sit tali adjunctus exercitio. Particularis verò est: Tristitia & tædium de amicitia Divina, eò quòd per laboriosa virtutum exercitia servari debeat. Acedia Generalis tunc solùm est peccatum mortale, quando per illam omittitur opus sub mortali præceptum. Particularis verò semper est mortalis culpa, quia directè opponitur charitati DEI.

28. *Quot sunt Filiæ Acediæ?* R. Sunt quinq, 1. *Malitia*, quâ peccator odiô habet spiritualia bona. 2. *Pusillanimitas* & desperatio de salute. 3. *Rancor*, quô illi sunt fastidio, qui ad spiritualia inducunt 4. *Torpor*, ratione cujus bona opera fiunt non cum debito fervore. 5. *Evagatio* mentis, quâ in exercitio spiritualium evagatur aliquis circa extranea opera.

29. *Quid est Sacrilegium?* R. Est violatio rei sacræ seu dicatæ cultui Divino.

30 *Quotuplex est Sacrilegium?* ℞ Triplex: Personale, Reale, & Locale

Personale Est violatio Personæ sacræ, ut vg percussio clerici.

Reale Est Jndigna tractatio Sacramentorum, aut

aut profanatio vasorum sacrorum, ut vg. si quis calice consecrato biberet in convivio.

Locale, est omnis actus, quô Ecclesia polluitur. Ecclesia autem polluitur. 1. Per occisionem hominis. 2. Per effusionem illicitam humani sangvinis aut seminis. 3. Per sepulturam excommunicati aut non baptizati.

31. *Quot sunt Peccata in Spiritum S.*? ℞ Sunt sex 1. Desperatio. 2. Nimia præsumptio de misericordia DEI. 3. Jmpænitentia finalis. 4 Obstinatio. 5 Jmpugnatio agnitæ veritatis 6. Jnvidentia, seu odium fraternæ charitatis.

32 *Quare hæc peccata Mat.* 12. *dicuntur Jrremissibilia*? R. Quia sunt peccata finalia, & ideo non relinquunt locum pænitentiæ, consequenter & remissioni. Possunt tamen remitti à DEO, sed cum summa difficultate, eò quia sunt veritati, & conscientiæ, ex summa malitia, opposita.

33. *Quot sunt Peccata in cælum clamantia*? R. Sunt quatuor: Homicidium voluntarium, Peccatum Sodomiticum, Oppressio pauperum, & Detentio mercedis operariorum.

34. *Quid est Scandalum*? R. Est peccatũ occasioatũ Dicitur verò tale: quia dat occasionem alteri ad peccandum. 35.

35, *Quotuplex est Scandalum?* R. Duplex: *Activum* & *Passivum* Primum est: dictum, vel factum minùs rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Passivum verò est ipsa ruina sive peccatum ex occasione alterius dicti vel facti secutum.

36. *Quotuplex est Scandalum Activum?* ℟ Duplex Unum *Per se* tale. Et Aliud *Per accidens*. Primum habetur tunc, quando directè intenditur alterius ruina, si nimirum ideò aliquid fiat, ut proximus ad peccatum inducatur. Per Accidens vero Scandalum dicitur: quando indirectè & interpretativè tantùm causatur alterius peccatum, ut si vg. Religiosus jocosum verbum proferat coram sæcularibus vel ijs quos inde occasionem peccati sumpturos cognoscit, & tamen à talibus verbis non abstinet.

37. *Quotuplex est Scandalum Passivum?* ℟ Duplex *Datum*. seu Pusillorum, quod oritur ex activo scandalo. Et *Acceptũ*, quod non oritur ex activo scandalo, sed ex ipsius sumentis malitia. Tale fuit scandalum Pharisæorum ex Sanctissimis Christi verbis & factis.

38. *Ad hoc ut Scandalum Activum sit peccatum, requiriturne ut defactò ex illo*

sequa-

sequatur ruina spiritualis proximi, seu scandalum passivum? ℟ Negativè, sufficit enim quòd per illud data sit occasio, ex qva sequi possit ruina spiritualis proximi, ut si vg. velis aliquem inducere in ebrietatem, quamvis ipse non consentiat.

39. *Qualiter peccat ille qui scandalizat alterum?* ℟ Peccat mortaliter si dat occasionem ruinæ mortalis, (nisi indeliberatio excuset) Venialiter autem si dabit occasionem ruinæ venialis, etiamsi directè hoc intendat, & quidem per actum mortalem ut docet *Sanch.* l. I. c. 6. n. 11. Quia ruina est parva.

40. *Quot Peccata committit scandalizans?* ℟. Præter peccatum scandali, committit peccatū ejusdem speciei, ad quod alterū induxit, & ideo confiteri debet speciem peccati per quod & ad quod dedit occasionem, cum numero scandalizatorum, etiamsi illos non induxerit directè ad peccandum, sed per accidens, ut docet *Sanch.* loc. cit. *Laym. Bonac.* d. 2. q. 4. p. 2. & alij communiter.

41. *Nota* quòd non semper habetur peccatum scandali, quoties aliquis peccat coram alijs, sed tantùm pro tunc, quando at-

tentis omnibus circumstatijs tam personæ agentis, quàm illorum coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui aliàs peccaturi non essent. Ita *Laym.* l 2. t. 3 c. 13

42, *Quid est Simonia?* ℞ Est voluntas emendi vel vendendi pretiô temporalî aliquid spirituale, vel spirituali annexum.

43. *Quotuplex est Simonia?* ℞ Triplex; Mentalis, Conventionalis, & Realis.

Mentalis est, dum spirituale traditur pro re temporali sine pacto & conventione explicita, sed solùm mente concepta.

Conventionalis est, in qua extrinsecè convenitur & practicatur de pecunia & venditione, sed adhuc non est secutus effectus ex utraq; parte.

Realis est, quando peccatum est ex utraq; parte executioni mandatum.

44 *Iterum quotuplex est Simonia?* ℞ Duplex. Alia *Iuris Divini*, quæ est prohibita propter malitiam suam, ut vg. venditio hostiæ consecratæ &c. Alia *Iuris Humani*, quæ est mala tantum propter prohibitionẽ; ut; est vg. venditio beneficiorum prohibita ab Ecclesia.

45. *Quid est Blasphemia?* R. Est locutio

per

per modum convitij aut contumeliæ & maledictionis in DEUM facta & Sanctos.

46. *Quotuplex est Blasphemia?* R. Duplex *Hæreticalis* & *Simplex*. Prima est, locutio contumeliosa contra DEUM continens errorem fidei. Simplex verò est illa locutio contra DEUM, quæ nihil contrarium affirmat fidei sed solùm verba injuriosa in DEUM & sanctos enuntiat.

47. *Quid est Juramentum?* R Est invocatio Divini testimonij in confirmationem alicujus dicti vel facti aut promissionis.

48 *Quæ requiruntur ad hoc ut juramentum sit licitum?* R. Hæc tria: Veritas, Justitia, & Judicium juxta illud *Jerem.* c. 4. *Jurabis* (*Vivit Dominus*) *in veritate*, *& in judicio*, *& in justitia*.

48. *Quid est Juramentum ut peccatum?* ℟ Est falsa invocatio Divini testimonij in confirmationem alicujus dicti, vel facti, aut promissionis.

49. *Quid est Idololatria?* ℟ Est superstitio, quâ cultus soli DEO debitus creaturæ exhibetur.

50. *Quotuplex est Idololatria?* R Duplex *Materialis* & *Formalis*, Prima habetur, dum alicui creaturæ tribuitur cultus Divinus cũ

in-

inculpabili ignorantia. Formalis verò tunc habetur, quando redditur alicui Cteaturæ cultus soli DEO debitꝰ cũ vincibili ignorantia.

51 *Quid est Hypocrisis?* ℞ Est simulatio facti aut verbi quod in se non est tale. Hypocrita enim ille dicendus est, qui simulat se vg. benè vivere & malus est, aut sincerè loqui & fraudulentus est.

ARTICULUS V,

De Virtutibus.

1. *Quid est Virtus?* ℞ Est habitus perficiens substantiam intellectualem, & ad bonam operationem illam inclinans.

2. *Quotuplex est Virtus?* ℞ Juxta *Arist.* 2. Ethic c. 13. Alia est *Intellectualis* quæ ad intellectum spectat, ut Prudentia. Et alia *Moralis* quæ ad voluntatem pertinet, ut Justitia. Prima studiò, secunda verò more seu consuetudine acquiritur.

3. Jtem *Quotuplex est Virtus?* R Duplex *Theologica & Moralis*, Prima est, quæ habet pro immediato objecto ipsũ DEUM. Moralis est, quæ habet pro immediato objecto actiones humanas.

4, *Quotuplex est Virtus Moralis?* R Duplex: Alia *Ad se*, & Alia *Ad alterum*. Prima est illa, cujus objectum sunt passiones ipsius operantis; ut est vg, Fortitudo &

Temperantia, quæ versantur in moderandis passionibus ipsius operantis; Fortitudo enim mitigat irascibilem passionem. Temperantia autem concupiscibilem. Virtus Ad alterum est illa, cujus objectum sunt passiones ipsius operantis prout sunt juris alterius adæquativæ, ut est vg. obedientia, gratitudo &c. quæ respiciunt alium.

5. *Adhuc quotuplex est Virtus?* R Duplex *Actualis* & *Habitualis*, Prima est actus alicujus virtutis. Secunda verò est qualitas inclinans potentiam ad actus virtuosos.

6. *Quotuplex est Virtus Habitualis?* ℟ Duplex *Infusa* & *Acquisita*. Prima est illa, quæ infunditur immediatè à DEO, & hujusmodi sunt habitus fidei, spei, & charitatis. Acquisita verò est: facilitas quædam generata ex frequentatis actibus virtuosis, inclinans hominem ad eliciendos promptè & faciliter similes actus virtuosos illis ex quibus fuit generata. Prima datur ad simpliciter, secunda verò ad faciliter operandum.

7. *Quot sunt Virtutes Theologicæ?* ℟ Sunt tres: Fides, Spes, & Charitas.

8. *Quid est Fides?* ℟ Juxta *Apost.* ad Hæbr. 11. Est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.

9. *Quid est Spes?* ℟ Est virtus supernaturalis inclinans nos ad amandum DEUM amore concupiscentiæ.

10. *Quid est Charitas?* ℟. Est virtus supernaturalis, quâ DEUM diligimus propter se, & proximum propter DEUM.

11. *Quot sunt Virtutes Morales?* ℟ Sunt plures, & ferè innumerabiles, quot enim sunt vitia, tot sunt virtutes illis oppositæ; reducuntur tamen ad certum numerum virtutum Cardinalium.

12. *Quot igitur sunt virtutes Cardinales?* ℟ Quatuor: Prudentia, Justitia, Temperantia, & Fortitudo.

13. *Quare dicuntur Cardinales?* ℟ Quia in illis: tanquam in cardinibus; universa boni operis structura nititur:

14. *Quid est Prudentia?* ℟ Est Habitus directivus actuum humanorum, ut bene & laudabiliter fiant in genere moris. Et hæc virtus concurrit ad omnes actus virtuosos.

15. *Quid est Iustitia?* ℟ Est constans voluntas suum unicuiq; tribuendi.

16. *Quotuplex est Iustitia?* ℟. Duplex: *Perfecta & Imperfecta.* Prima est quæ habet istas tres conditiones. 1. Jurium alteritatem. 2. Compensationis æqualitatem. 3.

De-

Debitum compensandi ex aliquo jure ortum Jmperfecta verò est, quæ aliquam ex his tribus conditionibus non habet: Justitia Perfecta est una ex quatuor Cardinalibus, non verò Jmperfecta, quia hæc est communis omnibus virtutibus quæ sunt ad alterum.

17. *Quotuplex est Iustitia Perfecta?* ℟ Triplex. Distributiva, Commutativa & Legalis.

Distributiva est, quæ inclinat ad danda alijs præmia, juxta illorum merita.

Commutativa est, qnæ inclinat ad servandam æqualitatem rerum, quæ commutantur.

Legalis est, quæ inclinat ad obseruantiam legum, quæ sunt ad bonum commune ordinatæ.

18. *Quotuplex est Iustitia Perfecta?* ℟ Duplex. *Præmiativa*, per quam præmiantur merita. Et Vindicativa, per quam puniuntur demerita.

19, *Quid est Temperantia?* ℟ Est virtus quæ moderatur delectationes corporis maximè ex cibo, potuq; ac venere provenientes.

20. *Quid est Fortitudo?* ℟ Est virtus impor-

portans firmitatem animi in sustinendis & repellendis quæ pertinent ad bonum virtutis. Vel juxta *Arist.* 2. Ethic. c. 3. Est mediocritas circa metum & tristitiam.

21. *Quæ virtutes reducuntur ad Iustitiam?* ℞ Hæ sequentes: Religio, Pietas, Obedientia, Veritas, Gratitudo, Amicitia, & similes aliæ virtutes alterum respicientes.

22. *Religio* est: *Virtus* inclinans hominem ad reddendnm cultum DEO debitum. Ejus actus præcipui sunt 6. Adoratio, Sacrificiũ, Oratio, Juramẽtũ, Adjuratio, & Votũ.

23. *Adoratio* est: Actus, quô alium reveremur. Et est duplex: *Interior* & *Exterior* Prima est: cordis ac mentis humilis & sincera alteri submissio. Exterior verò est, externa reverentia alteri exhibita ut vg. Genuflexio &c.

Jtem Alia est *Absoluta*, quâ adoratur res propter excellentiam propriam quam habet. Alia *Respectiva*, quâ adoratur res propter excellentiam alterius quod repræsentat, vel ad quod respectum habet, ut est Adoratio *imaginis* alicujus Sancti.

Jtem Adoratio est triplex: *Latriæ*, *Duliæ*, & *Hyperduliæ*. Latria est cultus, qui DEO exhibetur ob infinitam ejus excellentiam.

Du.

Dulia est: cultus, qui Sanctis exhibetur ob sanctitatis excellentiam, quam habent. Hyperdulia est: cultus qui exhibetur B.V. MARIÆ ob particularem ejus excellentiam, quam habet præ cæteris Sanctis propter dignitatem Maternitatis Filii DEI.

De cæteris actibus Religionis suis in locis agetur.

24. *Pietas* est: Virtus, per quam Parentibus & Patriæ cultum & officium exhibemus.

25. *Obedientia* est, Virtus inclinans hōminē ad aliquid eô motivô quô imperatū est.

26 *Veritas* est: virtus inclinans hominem ad veritatem alteri manifestandam per signa externa conceptibus internis conformia.

27 *Gratitudo* est, Virtus per quam benefactoribus gratiam pensamus, à quibus, beneficia accepimus.

28. *Amicitia* est. Mutua benevolentia non latens.

29. *Quæ virtutes ad Temperantiam reducantur?* ℞ Abstinentia. Sobrietas, Castitas, Pudicitia, Mansuetudo, Clementia, Modestia, Humilitas &c.

30. *Abstinentia est*: Virtus, quæ moderatur delectationem cibi & potûs, ita ut quis in-

in edendo & bibendo mensuram rectæ rationis non excedat.

31. *Sobrietas* est: Virtus, quæ ita potum moderatur, ut non noceat usui rationis. Differt ab Abstinentia, quia hæc cibi & potûs delectationẽ impedit, Sobrietas verò prohibet impedimentum rationis in excessivo usu potûs.

32, *Castitas* est: Virtus quæ moderatur Venereas voluptates. Et est triplex: *Conjugalis*, *Vidualis*, & *Virginalis*. Conjugalis est, abstinentia ab omni actu venereo extra Matrimonium. Vidualis est: abstinentia ab omni actu venereo stante viduitate. Virginalis est abstinentia ab omni actione venerea, tã licita in Matrimonio, quã illicita extra Matrimonium.

33. *Pudicitia*. est Virtus moderans signa impudica provocantia ad delectationes venereas.

34. *Mansuetudo* est: Virtus quæ iræ impetum juxta rationis regulam moderatur.

35, *Clementia* est: Virtus quæ moderatur pænas infligendas. Distingvitur à Mansuetudine, quia hæc moderatur iram, quæ movet ad pænas infligendas. Clementia verò minuit pænam, quæ reis juxta leges debetur.

36. *Modestia* est Virtus quæ modum sta-

tuit, quem unusquisq; servare debet in humanis affectibus & actibus externis.

37 *Humilitas* est Virtus inclinans hominem ad sui vilitatem dictis & factis ingenuè profitendam.

38. *Quæ virtutes ad Fortitudinem reducantur?* ℟ Quatuor præsertim, scilicet: Magnanimitas, Magnificentia, Patientia & Perseverantia.

39. *Magnanimitas* Christiana est: Animus promptus ad subeunda etiam pericula mortis ob bonum virtutis.

40 *Magnificentia* Christiana: est Virtus inclinans ad erogandos sumptus in opera sũptuosa, in ordine ad DEI gloriã, salutẽ suã ac proximi commoditatem. ut est vg. erectio templi, Monasterij &c.

41. *Patientia* est: Constans in rebus adversis propter DEUM tolerantia.

42. *Perseverantia* est Virtus, per quam homo persistit in opere bono, non obstante temporis diuturnitate, difficultate & molestijs.

43. *Quot sunt Dona Spiritus S?* ℟ Sunt septem juxta Jsai. 11. v. 2 Sapientia, Jntellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia. Pietas, & Timor Domini.

44. *Quot sunt Fructus Spiritûs S.?* ℟.

Du-

Duodecim juxta Apoſt. ad Galat 5. v. 22. Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Bonitas, Longanimitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Conſtantia & Caſtitas.

45. *Nota* ex V. *Scoto* in 3. d. 34. quòd ſeptem Dona Spiritûs S. & duodecim fructus non differunt eſſentialiter à tribus virtutibus Theologicis. & quatuor Cardinalibus, ſed ſolùm accidentaliter, inquantum ſunt virtutes in excellenti & intenſæ. Dicuntur autem dona & fructus Spiritûs S, quia absq; gratia, quæ eſt donum Spiritûs S. & charitate haberi non poſſunt. Jta etiam ſentit *Trid*, ſes. 6. c. 7.

46. *Quot ſunt Beatitudines?* ℟ Juxta Mat. 5. ſunt octo. Beati pauperes. Beati mites. Beati qui lugent. Beati qui eſuriunt. Beati miſericordes. Beati mundo corde. Beati pacifici. Et Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.

47. *Quot, & quotuplicia ſunt Opera miſericordiæ?* ℟ Sunt 14. Quorum 7. ſunt ſpiritualia & 7. Corporalia, quæ aliunde ſuppono eſſe nota.

SECTIO III.

De Sacramentis in Specie

ARTI-

ARTICULUS I.
De Baptismo.

1. *Quid est Baptismus?* ℟ Juxta V. Scotum in 4. d. 3 q. 1. est: *Sacramentum ablutionis animæ à peccato consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione, prolatis.* Vel breviùs ex Cath. Trid. est *Sacramẽtũ regenerationis per aquã in verbo.*

2. *Quotuplex est Baptismus?* ℟ Triplex: *Fluminis*, qui habetur per ablutionem aquæ. *Flaminis*, qui est desiderium suscipiendi baptismum fluminis, quod desiderium includere debet contritionem: Et *Sangvinis*, qui habetur per Martyrium. 1mus est propriè Sacramentum à Scoto definitum.

3. *Nota* quòd licet per utrumq; ex his deleatur peccatum originale, character tamen solùm imprimitur per baptismum Fluminis; undè baptizatus baptismô Flaminis, si potest commodè debet baptizari baptismô Fluminis, ut satisfaciat legi Christi. Jta docet Conc. *Trid.* ses. 6.

4. *Quæ est materia Baptismi?* ℟ Aqua, quæ juxta *Trid.* ses. 7. c. 2. debet esse o-

mninò naturalis, simplex & elementalis. In casu necessitatis sufficit ex sale aqua, dummodo sal sit ex aqua, non verò de terra factū.

5. *Quæ est Forma Baptismi?* ℟. Sunt hæc verba à Ministro prolata: *Ego te baptizo in Nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Omnes particulæ sunt necessariæ ad valorem hujus Sacramenti, ut patet ex mente Christi *Mat.* 28. Nam licet in primitiva Ecclesia Apostoli baptizabant in Nomine solùs JESU: hoc tamen ut docet V. *Scotus* fuit ex speciali privilegio Christi, ut Ejus Nomen omnibus innotesceret, nunc verô prohibitum est à Conc. *Flor: & Trid.*

6. *Quotuplex est materia Baptismi?* ℟. Duplex: *Remota*, quæ est aqua naturalis. Et *Proxima*, quæ est ablutio.

7. *Quotuplex est Ablutio?* ℟. Duplex: Una per Aspersionem seu effusionem aquæ in corpus. Altera per Jmmersionem corporis in aqua. Utramq; ablutionem consuetudo Ecclesiæ observat in diversis locis.

8. *Jterum quotuplex est Ablutio?* ℟. Duplex: *Activa*, quæ est in agente. Et *Passiva* quæ est in passo seu baptizato.

9. *Quæ Ablutio est de essentia Baptismi?* ℟. Passiva juxta V. Scotum: quia in eo recipi-

pitur, in quo & ipse baptismus. Deinde ad multiplicationem numericā ablutionis passivæ, multiplicatur numerô Sacramentum baptismi, etiamsi unica esset ablutio activa & forma ut dum simul plures abluerentur Ministrô dicente: *Ego vos baptizo* &c.

10. *Quis est Minister baptismi?* ℟ Licèt ex officio & ex vi Ordinis sit Presbyter & Diaconus, in casu tamen necessitatis quilibet homo rationis compos sive Mas sive fæmina; imò etiam Jnfidelis si debitè adhibeat formam & materiam & habeat intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia: Jta decrevit *Jnnocentius III.*

11. *Poteſtne unus Minister validè simul plures baptizare sub hac forma. Ego vos baptizo &c?* ℟ Affirmativè. Ratio est, quia talis modus baptizandi non est contra baptismi institutionem imò fundari videtur in illis verbis Christi: Baptizantes eos &c. Tum quia *Actor* 2. Etiam Apostoli tali formâ & modô usi sunt, unâ enim die tria millia hominum baptizasse dicuntur.

12. *Jn tali casu quot essent baptismata?* ℟ Tot, quot essent subjecta, ut docet V. *Scotus* in 4. d. 6. q. 2. Ratio est, quia plures in tali casu essent baptizati. & per con-

ſequens plures baptizationes paſſivæ, in quibus præſertim Sacramentum baptiſmi conſiſtit.

13. *Validène baptizarent plures eundem, ſi eodem tempore ſimul corpus abluerent & debitam formam cum intentione proferrent?* ℟ Affirmativè. Ratio eſt V. Scoti, quia in tali caſu unus non irritaret factum alterius, nam non poneret actionem contrariam, ſed omninò ſimilem. Tum quia poſſunt ſimul plures ſacerdotes eandem hoſtiam conſecrare; ut patet in ordinatione Preſbyterorum: ergo à pari &c. Tum quia in caſu habentur omnia neceſſariò ad baptiſmum requiſita.

14. *Quot in tali caſu conficerentur baptiſmata?* ℟ Tot, quot eſſent baptizantes quia plures eſſent baptizationes paſſivæ.

Nota tamen quòd ſi in tali caſu unus baptizans citiùs proferret formam baptiſmi, ab ipſo non niſi collatum eſſet Sacramentum, cæteris nihil efficientibus, quia jam haberetur totum id, quod ſolet cauſare Sacramentum baptiſmi.

15. *Validène baptizarent plures eundem ſi unus vg Mancus proferret formam, alter vg mutus ablueret?* ℟ Negativè. Ratio eſt, quia in tali caſu ille baptiſmus falſam ha-

be-

heret formam, quia si mancus diceret: Ego te baptizo, falsum diceret, quia non ipse baptizaret sed mutus.

16. *Quod est subjectum baptismi?* R. Est homo viator tam infans quàm adultus; cum hoc tamen discrimine, quòd in infantibus nulla requiritur dispositio, in adulto verò tres communiter debent præcedere dispositiones.

Prima est: Consensus, nullum enim DEUS omnino invitum vult familiæ suæ adscribi.

Secunda dispositio est Fides, juxta illud *Math.* 25. Docete omnes Gentes, qui crediderit & baptizatus fuerit &c.

Tertia dispositio ad fructuosè recipiendū baptismum in illis adultis, qui ultra peccatum originale, habent mortale personale requiritur aliqua Pænitentia ac displicentia peccatorum commissorum, ut expressum est *Act.* 2. verbis S. Petri dicentis: *Pænitentiam agite & baptizetur unusquisq; vestrûm in remissionem peccatorum.* Quod etiam præcepit & *Trid.* ses. 6. c. 6.

17. *Quid si Adultus habens peccata mortalia vellet seriò baptizari non tamen pænitere?* R. Talis validè quidem sed non fru-

ctuosè reciperet Sacramentum (ut constat ex C, Majores &c. de Judæis dist. 64.) haberet quidem characterem non tamen gratiam. Unde prima dispositio scilicet consensus in adultis requiritur ad validè, fides autem & pœnitentia non nisi ad fructuosè suscipiendum baptismum sunt necessariæ.

18. *An Monstrum genitum ex fœmina potest baptizari?* ℟ Affirmativè cum hac tamen cautella, quòd si dubitetur an sit homo, debet proferri forma sub conditione, sic: *Si homo es ego te, baptizo in Nomine &c.* Si tamen nullum adsit periculum mortis ejus, consulendi sunt medici, & alij in hac re periti; si verò baptizetur sub conditione & postèá deveniatur certò esse hominem, non est iterum rebaptizandum, quia illa conditio fuit semper vera. Si autem monstrum tale sit, de quo, dubitetur an sit unus vel plures homines puta si duo capita vel duos truncos habeat, in tali casu docet V. Doctor d. 6. q. 2 quod si tempus haberi potest debet attendi diligenter si simul in utroq; capite aperiuntur oculi aut simul ambo capita obdormiunt, signum est quòd una sit in tali monstro anima & per consequens unus est homo. Si autem certitudo haberi non

potest, baptizandus est saltim in illis partibus quæ principaliter pertinent ad unum, cum prolatione formæ in singulari prout etiam declaratur in Rituali Romano.

19. *Qualis requiritur voluntas ad valorem baptismi?* R. Requiritur voluntas libera, sufficit tamen gravi metu coacta, quod patet Can. *de judæis* dist. 45: Ratio est, quia ex una parte nullum damnum fit Sacramento, ad cujus valorem non semper requiritur propria voluntas, ut patet in infantibus, & perpetuò amentibus. Ex altera parte nulla fit injuria taliter baptizato, quia transfertur per hoc ad meliorem statum ut ait V. Scotus solvens paritatem de gravi metu cogente ad Matrimonium.

20. *Quot sunt Effectus baptismi?* R Sunt sequentes. 1. Infunditur gratia habitualis simul cum virtutibus Theologicis. 2. Imprimitur Character. 3. Deletur non solùm originale peccatum, sed etiam omnia actualia, si quæ ante baptismi susceptionem commissa sunt & quidem non solùm quò ad culpam, sed etiam quò ad pœnam illis debitam 4. Per baptismum conferuntur omnia illa auxilia supernaturalia, quæ sunt proportionata fini, ad quem baptismus est institutus.

5. Conjungitur moraliter homo baptizatus cum Christo tanquam membrũ cũ Capite.

21. *Equalemne per Baptismum recipiunt gratiam omnes baptizati, in quibus nulla fuit dispositio?* R. Affirmativè Ratio est ex subtili Doctore in 4. d. 4. q. 7. quia ab eadem causa æqualiter se habente æqualis producitur effectus, sed baptismus semper habet æqualèm virtutem: ergo quantum est ex parte ipsius, semper æqualem causabit gratiam. Jn illis verò in quibus datur dispositio propria; ut sunt adulti non æqualis confertur gratia, sed juxta uniuscujusq; dispositionẽ, ut docet *Trid*, ses. 6. c. 6. ubi ait: *secundùm propriam cujusq; dispositionem & cooperationem*. Tum quia, in suscipiente Eucharistiam majoritas gratiæ mensuratur juxta majoritatem dispositionis ipsius suscipientis. Ergo etiam à pari. &c.

22. *Quando Baptismus fuit institutus?* R. Jmmediatè ante Cænam Domini: licèt in Evangelio non explicetur certũ tẽpus Ratio est ex D. *August*. quia cùm sit janua Sacramentorum, debuerat priùs institui, quàm Eucharistia & Ordo, quæ instituit Christus in ultima Cæna.

23. *Quando cœpit obligare sub præcepto?*

R.

R. Post sufficientem promulgationem fidei quia ad hoc ut recipiatur maximè in adultis requiritur fides, juxta illud, *Math* 28 *Qui crediderit &c.*

ARTICULUS II
De Confirmatione

1. *Quid est Confirmatio?* ℟. Est: *Sacramentum, quô homo viator baptizatus ungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate, sub præscripta formá verborum, ad fidei robur consequendum.*

2. *Quotuplex est ejus Materia?* R. Duplex: *Remota*, quæ debet esse Chrisma confectum ex oleo olivarum atq; balsamo. Et *Proxima*, quæ est unctio facta ab Episcopo in fronte suscipientis per modum Crucis.

3. *Nota* tamen quòd Apostoli in primitiva Ecclesia per solam impositionem manuum hoc Sacramentum ministrasse leguntur. *Act.* 8. hoc tamen faciebant ex speciali dispensatione Christi pro illo solùm tempore, quô spiritus S. supra fideles sub visibilibus signis descendebat, ac proinde non erat tunc necessaria visibilis materia Sacramentalis, quando verò hujusmodi signa visibilia cessarunt, usi sunt Apostoli Chrismate in collatione Cõfirmationis, ut docet etiam Angelicus Doctor q. 62. art. 2.

4. Nota 2dô quòd ad valorem hujus Sacramenti requiritur: ut Chrisma sit ab Episcopo benedictum, quod non requiritur in baptismo. Rationem assignat V. Scotus & disparitatem, quia Christus per contactum suæ carnis mundissimæ, omnem aquam consecravit in usum Baptismi, non sic autem materiam Confirmationis, & ideo hic requiritur specialis consecratio, quam rationem ut bonam acceptat Catechismus Romanus.

5. *Quæ est Forma Confirmationis?* R. Sunt hæc verba ab Episcopo prolata: *Ego signo te signô Crucis & confirmo te Chrismate salutis. In Nomine Patris &c.*

6. *Quis est Minister Cōfirmationis?* ℟. De lege debet esse Episcopus, cum dispensatione tamen Papæ potest illud licitè & validè ministrare simplex Presbyter, ut patet ex *Gregorio* Papa Epist. 66. in qua Presbyteris Sardiniæ concessit ministrare confirmationem.

7. *Quot sunt effectus Confirmationis?* ℟. Sunt tres, 1. Gratia habitualis secunda. 2. Character. 3. Gratia Sacramentalis, quæ est speciale auxilium DEI tempore opportunô conferendum, ad fidem Christi tam interiùs retinendam, quàm etiam exteriùs coram Tyranno fortiter confitendam.

8.

8. *Quando fuit institutum hoc Sacramentum?* R. Probabiliter in ultima Cæna, ut docet *Fabianus* Papa Epist. 2. c. 41 dicens: *In illa die D. IESUS postquam cænavit cum Discipulis; Chrisma conficere docuit.*

9. *Quomodo obligat hoc Sacramentum ad sui susceptionem?* ℞. Ad summùm sub veniali, cũ enim non sit necessariũ necessitate Medij, ideo non obligat fideles sub peccato mortali nisi adsit contemptus.

Notat tamen *Abellius* c. 3. quòd in illis partibus in quibus imminet persecutio contra Ecclesiam, teneri quemlibet adultum si Episcopum commodè adire possit, hoc Sacramentum suscipere, ut ex illo robur & vires ad fidem constanter profitendam acquirat.

ARTICULUS III.
De Eucharistia

1. *Quid est Eucharistia?* R. Est: *Sacramentum Corporis & sangvinis Christi veraciter contenti sub speciebus panis & vini post consecrationem factam à Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex institutione Divina efficaciter significans corpus & sangvinem Christi sub eis realiter contineri.*

2.

2. *Quotuplex est Materia Eucharistiæ?* ℞ Duplex: *Remota* & est panis triticeus, qui in latina Ecclesia ex præcepto debet esse azymus, in Græca verò fermentatus. *Proxima* verò sunt ipsæ species consecratæ connotantes Corpus & sanguinem Christi.

3. *Quæ est Forma Eucharistiæ?* ℞ Forma Eucharistiæ, non datur sicut in cæteris Sacramentis, quia si daretur, hæc deberent esse verba consecrationis, quod non potest dici juxta V. Scotum in 4. d. 8. q. 1. quia verba sunt quid transiens, Sacramentum verò Eucharistiæ est quid permanens, adeoq; verbis non potest intrinsecè constitui tanquã formâ. Ita ex nostris *Branc. Mastrius* &c. *Poncius* tamen disp. 44. q. 1. tenet verba, secundùm esse Physicum non posse quidem esse formam Eucharistiæ, quia sic sunt transeuntia; secundùm tamen esse morale possunt esse, quia sic moraliter sunt permanẽtia, & ita vult intelligi subtilem Doctorem. Utraq; autem sententia est probabilis.

4. *Quæ est Essentia Eucharistiæ?* ℞ Sunt species panis & vini continentes Corpus & Sanguinem Christi. Unde Conc. *Flor*, in lit. Uni. quando dicit: Omnia Sacramenta

con-

conſtare ex rebus & verbis (ut dictum eſt Sect. II. Art. I, pag) debet, intelligi, de Sacramentis Succeſſivis, non verò de permanenti, quale eſt Euchariſtia.

5. *Sub una ſpecie eſtne integrum Sacramentum?* R. Eſt, quò ad rẽ ſignificatam nempe Chriſtum, non tamen quò ad modum ſignificandi. Ratio eſt: quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum Convivij; Convivium autem completè conſtituitur tam per cibum quàm potum, unde qui ſumit ſub ſola ſpecie panis, ſumit formaliter tantùm Corpus Chriſti, quod eſt per modum cibi, & concomitanter ſolùm ſanguinem, qui eſt potus ſpiritualis,

6. *An majorem cauſet gratiam Euchariſtia ſumpta ſub utraq; ſpecie quàm ſub una?* ℟ Affirmativè. Ratio eſt: quia utraq; ſpecies eſt verum Sacramentum adeoq; ambæ majorem conferent gratiam. Tum quia utraq; ſumpta cauſat gratiam per modum cibi & potûs, non ſic una tantum. Tum quia *Clemens* IV. concedens in quadam Bulla Regi Chriſtianiſſimo communicare ſub utraq; ſpecie in articulo mortis, addidit rationem hujus dicendo: *Ad majus augmentum gratiæ.*

7. *Ergo injustè Ecclesia prohibuit Laicos sub utraq; specie sumere?* ℞ Negativè Ratio est ex *Trid.* ses, 21. c. 2. quia ex una parte per hoc non privātur aliquâ gratiâ ad salutem necessariâ, Ex altera parte facilè possunt compensare illam gratiam per majorem dispositionem, nam major gratia in suscipientibus Eucharistiam attenditur ex majori eorum devotione, quam habent dum illam suscipiunt. Tum quia esset sæpiùs periculum effusionis sangvinis in dispensatione populo, neq; diu posset conservari. Deinde sunt nonnulli qui ex natura sua odorē vini pati non possunt, quæ sunt justissimæ rationes denegandi sub utraq; specie sumere.

8. *Neq; valet in hac re calumnia Lutheri dicentis:* quòd injustè Ecclesia prohibet fideles sumere Eucharistiam sub specie vini, nam Christus Lucæ 22. jussit omnes bibere calicem dicens: *Bibite ex eo omnes.* Non valet inquam, quia Dominus dixit hæc verba ad solos Apostolos, quod patet: Quia etiam tempore Apostolorum non dabatur Eucharistia sub speciebus vini fidelibus, ut videre est *Actor.* 2. & 20. ubi dicitur: *Unâ Sabbathi fideles convenerunt ad fractionem panis;* nullam faciendo mentionem de vino.

9.

9. *Quot sunt Effectus Eucharistiæ?* R. Sunt plures, quorum primus est: Gratia secunda. 2*dus*. Remissio venialium. 3*tius*. Præservatio à mortalibus. 4*tus*. Diminutio fomitis peccati. 5*tus* Unio nostræ carnis cum Christo.

10. *Ad hoc ut recipiatur gratia secunda per Eucharistiam qualis requiritur dispositio in suscipiente?* R Sufficit quòd non sit in peccato mortali, estò in suscipiendo sit aliquando distractus venialiter. Ratio est quia peccatum veniale non opponitur gratiæ, adeoq; potest stare cum illa. Nocet sibi tamen taliter distractus, quia minorem recipit gratiam.

11. *Quando Eucharistia incipit causare gratiam?* ℞ Tunc, quando *imò* est in stomacho, non verò dum est inter palatum & lingvam. Ratio est, quia sicuti corporalis cibus nutrit pro tunc, quando est in stomacho, ita etiam Eucharistia, quæ est cibus spiritualis.

12. *Quamdiu hoc Sacramentum causat gratiam?* R Probabiliter tamdiu, quamdiu species manent in stomacho, nam non est ratio, quare potiùs deberet in primo instanti causare, & non in sequentibus, aliàs otiòsè pro tunc Christus esset in nobis Sacramentaliter.

13. Quam autem longo tempore species in nobis incorruptæ maneant, universaliter non potest definiri, hoc enim provenit à dispositione stomachi, qui in alijs est calidior, in alijs verò debilior, Decisum tamen est à Romanis Medicis, quòd utraq; species in Presbytero potest durare mediâ horâ; in Laico verò quia est parva particula non nisi unô quadrante perseverat.

14. *Quotuplex est Minister Eucháristiæ?* ℟ Duplex: *Conficiens* qui est solus Presbyter. Et *Distribuens* qui est Presbyter & de ejus licentia etiam Diaconus. Jn Primitiva Ecclesia dabatur Eucharistia ad manus fidelibus adultis, Jnfantibus verò statim post baptismum ori imponebatur, sed quia exinde magna fiebat Sacramento irreverentia, ideo ab Ecclesia utrumq; prohibitum est.

15. *Quando fuit institutum hoc Sacramentũ?* ℟ Jn ultima Cæna, quæ juxta V. Scotum ac cæteros Patres celebrabatur 14. Martij. Ratio est quia Christus Dominus qui non venit solvere legem sed adimplere, hôc utiq; die sumebat Agnum Paschalem, quô à lege institutum fuerat, lex autem jussit manducari pascha 14. Mensis primi ut videre est *Exod.* 12. v. 6. Per primum verò

Men-

Mensem apud Judæos hucusq; intelligitur Martius, qui vocatur *Nisan* teste Josepho.

16. Ex quo patet, quòd Christus D. consecravit in azymo pane, non verò fermentato, ut volunt Græci. Ratio est: quia Salvator habuit Cænam in die Azymorum, ut patet ex illo *Math.* 26. *Primô autem die Azymorum accesserunt ad JESUM discipuli dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Diebus autem Azymorum non licebat comedere panem fermentatum, ut etiam ipsi Judæi hucusq; observant juxta illud *Exodi*. 12. *Primô mense quartâ decimâ die Mensis ad vesperam comedetis azyma usq; ad diem septimum ejusdem Mensis.*

17 *Quali præceptô fideles tenentur ad Eucharistiam sumendam?* ℟ Non solùm præceptô Ecclesiæ sed etiã Divinô, juxta illud *Joan.* 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis non habebitis vitam in vobis.*

18. *Nota* quòd Annô 102 exorta est famosa Hæresis circa Euchariſtiam quæ vocabatur Gnosticorum. Hi enim Hæretici non credentes corpus Filij hominis contineri sub speciebus consecratis panis puri triticei, parvulum recenter natum assabant, & assatum contundebant, cujus pulveres immi-

scen-

scendo farinæ panes faciebant, dicendo: Nunc verè esse corpus Filij hominis.

ARTICULUS IV.

De Pænitentiæ Sacramento.

1 *Quotupliciter sumitur Pænitentia?* R. Dupliciter: Ut est virtus, & ut est Sacramentum.

2. *Quid est Pænitentia ut virtus?* ℟ Est Dolor animi, & detestatio peccati cum proposito emendandi

3. *Quid est Pænitentia ut Sacramentum?* R. Juxta V. Scotum in 4. d. 14. q. 4. est: *Absolutio hominis pænitentis, facta certis verbis cum debita intentione prolatis, à Sacerdote jurisdictionem habente ex institutione Divina efficaciter significans absolutionem hominis à peccato.*

4. *Quotuplex est Materia Pænitentiæ?* ℟ Duplex: Una. *Remota*, quæ sunt peccata personalia post baptismum commissa. Et Alia *Proxima*, quæ sunt actus pænitentis, nempe Dolor. Confessio, & satisfactio.

5 *Quotuplex est Materia Remota?* ℟ Duplex: Una: *Necessaria*, quæ necessariò in Sacramento Pænitentiæ aperienda est; & hujusmodi sunt peccata mortalia. Alia: *Sufficiens*,

quæ

quæ licet non ſit neceſſariò aperienda in confeſſione, ſufficit tamen ad validè obtinendam abſolutionem; & talia ſunt peccata venialia, vel mortalia jam ritè confeſſa & abſoluta, ut clarè deducitur ex *Extravag.* 1. Benedicti. XI.

6. *Sufficitne ſola confeſſio peccatorum jam confeſſorum, ad hoc ut validè conficiatur Sacramentum Pænitentiæ?* R. Cum V. Doctore q. 2. non ſufficit, ſed ulteriùs requiritur novus dolor de ijsdem peccatis. Ratio eſt: quia ad novum Sacramentum conficiendum requiritur ſaltim nova materia proxima à priori diſtincta, ſi autem non adderetur novus dolor, non eſſet nova materia ſufficiens ad novum Sacramentum Pænitentiæ conſtituendum.

7. *Valetne Sacramētū Pænitētiæ ſi pænitens præſenti Miniſtro porrigat in charta ſua peccata?* ℟ Affirmativè Ratio eſt quia ex una parte nulla expreſſa hujus habetur Eccleſiæ prohibitio, ex alia parte in tali caſu pænitens omnia neceſſaria haberet ad valorem Sacramenti; haberet enim pudorem & verecundiam de ſuis peccatis, quam non haberet in abſentia Miniſtri. Unde licet ex Decr: Clem: VIII conſtit: 67. prohibeatur con-

feſſio

fessio peccatorum per litteras, mens tamen Pontificis solùm intelligenda est dum Minister est absens, nam in præfato Decreto habetur: *Non licere per litteras Confessario, absenti pecata Sacramentaliter confiteri & ab eodem absente absolutionem obtinere*

8. *Quotuplex est Dolor?* ℟ Duplex: *Perfectus* seu *Contritio*. Et *Imperfectus* seu *Attritio*. *Contritio* est dolor de peccatis quatenus sunt offensa DEI summè dilecti & supra omnia. Et hæc remittit peccata etiam extra Sacramentum, in voto tamen Sacramenti, unde taliter contritus tenetur sub mortali suô tempore confiteri. *Attritio* verò est dolor de peccatis propter turpitudinem peccati aut timorem inferni. Et hæc (si sit ex motivo supernaturali) licet in Sacramento Pænitentiæ sufficiat ad remissionem peccatorum obtinendam, tamen extra Sacramentum in nullo casu potest justificare peccatorem.

9. *Quid est Confessio?* ℟ Est accusatio de proprijs peccatis, coram Sacerdote legitimo ad eorum remissionem obtinendam per absolutionem.

10. *Quot sunt conditiones bonæ confessionis?* R. Sexdecim his versibus contentæ:

Sit

Sit ſimplex, humilis, confeſſio pura, fidelis,
Atq; frequẽs: nuda, diſcreta, libẽs, verecũda,
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelarata
Fortis & accuſans & ſit parere parata

Ex his tamen omnibus, ſolæ tres ſunt neceſſariæ ad valorem Sacramenti, nempe: fidelitas, integritas & dolor.

11. *Quotuplex eſt Integritas Confeſſionis?* ℟ Duplex: Una *Materialis*, quæ tunc habetur, quando pænitens omnia peccata mortalia ſecundum ſpeciem & numerum prout memoriæ occurrunt confitetur, ita ut nullum eorum remaneat aperiendum. Alia verò *Formalis*, quæ tunc eſt, quando pænitens omnia peccata mortalia, prout memoriæ occurrunt confitetur quantùm hic & nunc poteſt, ac tenetur, licèt aliquod ex neceſſitate aut impedimento omittatur. Poteſt quis excuſari ab integritate Materiali; nunquam tamen à Formali.

12. *Quid eſt Satisfactio?* ℟ Eſt compenſatio pænæ temporalis debitæ ob injuriam DEO illatam conſiſtens in operibus pænalibus & laborioſis à confeſſario taxatis.

13: *Quotuplex eſt Satisfactio?* Duplex: Una: *In re* quæ eſt ipsum opus à confeſſario taxatum. Alia *In voto*, quæ eſt voluntas

exe-

exequendi tale opus. Satisfactio *In voto* est de essentia Sacramenti, *In re* autem est pars integralis.

14. *Quæ est Forma Pænitentiæ?* Sunt hæc verba: *Ego te absolvo à peccatis tuis in Nomine Patris &c.*

15. *Omniane hæc verba sunt essentialia?* R. Non sed hæc sola: *Absolvo te*, reliqua tamen ex præcepto non sunt omittenda ut colligitur ex *Cath.* Pij. V. Orationes autem præviæ & subsequentes formam, ut *Misereatur tui &c*, & *Passio Domini &c.* non sunt necessitatis, & ex rationabili causa omitti possunt, ut si vg. multi sint confitentes &c.

16 *Quô modô debeant proferri à Sacerdote verba absolutionis?* R. Modô indicativô aut imperativô, non autem deprecativô. Ratio est: quia juxta *Trid.* ses. 14. c. 2, hoc Sacramentum est institutum per modum judicij, & Sacerdos se habet in illo ut Judex unde sicut in judicio sæculari Judex profert sententiam imperativè, ita etiam hic.

17. *Valetne absolutio sub conditione de futuro vg, absolvo te si reddideris furtum?* R. Negativè. Ratio est: quia forma Pænitentiæ valida, est signum demonstratìvum gratiæ in

ca-

casu autem non esset, quia conditionata propositio habet veritatem solùm tunc, quando adimpletur conditio, & sic illa forma esset signum gratiæ usq; tunc, quando pænitens redderet furtum, quod non potest dici quia tunc absolutio jam non est. Validè tamen absolveretur sub conditione de præterito: vel præsēti quia talis conditio non suspendit actum, ut vg. *Absolvo te si contritus es*.

18. *Quis est Minister Sacramenti Pænitentiæ?* R. Solus Presbyter habens potestatē tàm Ordinis quàm Jurisdictionis.

19. *Quid est potestas Ordinis?* R Est illa, quam quilibet Sacerdos recipit in ordinatione sua per impositionē manuum Episcopi.

20. *Quid est potestas Jurisdictionis?* R. Est jus in subditos ad exercendam potestatem absolvendi, quam ex vi Ordinis Sacerdos habet. Unde per primam, accipit potestatem judicandi spiritualiter; per secundam verò accipit subditos judicandos.

21. *Debetne Sacerdos habere utramq; potestatem ad hoc ut validè absolvat?* R. Affirmative, nisi pænitens sit in articulo mortis, quia tunc quilibet Sacerdos etiam excommunicatus validè absolvit juxta *Trid.*

22.

22. *Quot sunt Effectus Pænitentiæ?* ℟ Sunt quatuor. 1. Remissio peccati tàm mortalis quàm venialis. 2. Gratia prima, vel secunda si erit remissio venialium. 3. Gratia Sacramentalis. 4. Commutatio pænæ æternæ in temporalem. Quibus adde etiam illud: quod per Pænitentiam reviviscunt merita, quæ fuerunt per peccatum mortale mortificata; non verò illa, quæ fuerunt in peccato mortali facta, quia hæc potiùs mortua quàm mortificata dici debent.

23 *Quando fuit institutum Sacramentum Pænitentiæ & à quo?* R. A Christo D. post resurrectionem, ut habetur Joan. 20 *Accipite spiritum S. quorum, remiseritis peccata remittentur eis &c.*

24 *Quô jure tenentur fideles ad Sacramentum Pænitentiæ in peccatum mortale lapsi?* ℟ Jure Divinô saltim in articulo mortis juxta illud Lucæ 13, *Nisi Pænitentiam egeritis omnes simul peribitis.* Quod si non possit haberi Sacerdos elicienda est in tali casu contritio. Et ad hoc tenentur fideles sub peccato: quia alias si in tali casu voluntariè peccator omitteret dolorem de peccatis, nollet salutem animæ, qui enim non vult media, neq; vult efficaciter finem.

ARTI-

ARTICULUS V.

De Extrema Unctione.

1. *Quid est Extrema Unctio?* ℟ Juxta V. Scotum in 4. d. 2. q. 1. est *Unctio hominis infirmi pænitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione Divina efficaciter significans curationem finalem venialium.*

2. *Quotuplex est Materia Extremæ Unctionis?* ℟ Duplex: Una *Remota*, quæ est oleum olivæ ab Episcopo benedictum. Alia *Proxima* quæ est ipsamet unctio infirmi

3. *Quot fieri debent unctiones?* ℟ Saltim quinq. juxta partes quinq; sensuum corporis, qui si mutilati sint, in vicinis partibus unctio fieri debet. Quidam enim Doctores putant unam tantùm unctionem esse de essentia Sacrementi, ideoq; in periculo pestis vel simili necessitate sufficere unum tantùm organum vel potius caput, in quo sensus maximè vigent ungere dicendo: *Per istam &c. quid quid per visum, auditum, gustum, odoratum &c. deliquisti.* Tutiùs tamen erit in tali casu unum oculum, aurem

manum narem & os velociter ungere dicendo prædictam formam.

4. *Quomodo fieri debeat unctio?* ℟. Non est simpliciter necessarium ut fiat immediatô contactu manûs, nam peste grassante potest Sacerdos uti virgâ longâ tinctâ oleô quæ postea cumburenda est.

5. *Quæ est Forma hujus Sacramenti?* ℟. Sunt verba à Sacerdote prolata: *Per istam Sanctam unctionem &c.*

6. *Quæ sunt de Essentia hujus Sacramenti?* Sunt hæc: *1.* Ut organa 5. Sensuum quæ inunguntur, nominentur. 2. Verba illa: *Per hanc sanctam unctionem* 3. Verba deprecativa *Indulgeat tibi Dominus* Unde formam imperativam; *remittatur &c.* non valere dicunt Doctores.

7. *Quis est Minister Sacramenti?* Solus Sacerdos & quidem proprius parochus, de ejus tamen licentia aut in extrema necessitate quilibet Sacerdos, ut patet in Clemētina I.

8. *Quod est subjectū capax Extr. Unction?* ℟. Homo baptizatus infirmus qui juxta *V. Scotum & D. Bonaventuram* debet aliquando esse in peccato; unde infantes non sunt capaces hujus Sacramenti ante usum rationis, sufficit tamen in illis ea ætas quâ pec-

care possunt. 2. Jncapaces sunt perpetuò amentes: illis autem qui antequam delirium passi sunt, petierunt vel petijssent si opus fuisset dari debet. 3. Communi morbô seu non periculose infirmantibus invalidè confertur hoc Sacramentum Jta *Suar. Palaus. Gran.* &c.

Jn diuturnis autem morbis toties est conferendum, quoties adest novum periculum.

9. *Qui sunt Effectus hujus Sacramenti?* ℟ Juxta *Trid.* sunt 1. Remissio finalis venialium. 2. Robur animæ contra tentationes dæmonis in articulo mortis. 3. Sanitas corporis si expediat.

ARTICULUS VI.

De Matrimonio.

1. *Quid est Matrimonium?* ℟ Est: Sacramentum inter Baptizatos, quô vir & mulier sibi mutuò legitimè corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ societatem & remedium concupiscentiæ.

2. *Quotuplex est Matrimonium?* ℟. Triplex: *Legitimum*, quod est contractus legibus conformis, non tamen Sacramentalis, uti est inter Judæos. *Ratum* est: contractus fidelium ab Ecclesia approbatus non

tamen copulâ carnali completus. Et *Consummatum* quod est; Contractus fidelium Sacramentalis copulâ carnali completus.

3. *Quotuplex est Materia Matrimonij?* ℞. Duplex: *Remota* & *Proxima.* Remota sunt ipsa corpora contrahentium ut actu tradita vel tradenda. Proxima verò est corporum mutua traditio.

4. *Quæ est Forma hujus Sacramenti?* ℞. Sunt verba vel nutus contrahentium mutuum consensum exprimentes.

5. *Quis est Minister Matrimonij?* ℞. Sunt ipsi contrahentes, non verò Parochus ut expresse declaravit Eugenius V. Tum quia ante *Trid.* validè ministrabatur hoc Sacramentum, quamvis absente Parocho. Unde etiam nunc *Trid.* solùm requirit Parochum ut assistat, non verò ministret. Et cum dicit. *Ego vos conjungo* sensus est juxta V. Scotum d. 4. Ego vestram conjunctionem approbo.

6. *Estne validum Matrimonium inter absentes nempe per Procuratorem vel Epistolam?* ℞. Affirmativè: quia etiam sic adest ratio veri contractus & mutui consensûs.

7. *Ad quid institutum est Matrimonium?* ℞. Propter duo, nempe: propter educan-

dam

dam prolem, & mutuum obſequium Viri & Mulieris juxta illud *Gen.* 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, quibus etiam adjungitur alius finis, nempe Remedium contra Luxuriam juxta illud Apoſt. *Meliùs eſt nubere quàm uri.* 1. ad Cor. 7.

8. *Qui ſunt Effectus Matrimonij?* ℟. Præter gratiam habitualem & Sacramentalem, quæ ſunt communes alijs Sacramentis, tria alia numerantur bona, nempe: *Sacramentum*, *Fides*, & *Proles.*

SPONSALIA.

9. *Quid ſunt Sponſalia?* ℟. Sunt: Promiſſio vera, voluntaria, deliberata, ac mutua ſignô ſenſibili expreſſa futuri Matrimonij inter Perſonas jure habiles.

10. *Quæ requiruntur ad valorem Sponſalium?* ℟. Hæc quinq; 1. Ut ſit promiſſio vera & non ficta. 2. Ut ſit voluntaria. 3. Ut ſit mutua. 4. Ut ſit ſufficienter verbîs aut nutibûs expreſſa. 5. Requiritur tam in maſculo quàm fæmina annus ſeptimus completus, niſi prudentia præveniat ætatem, quia tunc poteſt rationalis haberi conſenſus. Ut patet ex C. *Juvenis.* Non requiritur autem præſentia Parochi, aut te-

ſtium ut communis Eccleſiæ praxis oſtendit. Neque etiam requiritur conſilium aut conſenſus Parentum juxta *Trid.* ſes. 24. c. 1. Ut tamen licitè fiant ſponſalia debent à Parentibus liberi conſenſum unà cum benedictione poſtulare, ne inducant in ſe maledictionem.

11. *Qui & quot ſunt effectus ſponſaliũ?* ℟. Sunt tres: 1. Obligatio ea implendi & quidem ſub mortali culpa, etiamſi non ſint jurata ut C. 1. De *Sponſa duorum.* 2. Impedimentum publicæ honeſtatis. 3. Inhabilitas his ſtantibus alia adimplendi. Unde obligatus per Sponſalia ad Matrimonium, ſi illud abſq; juſta cauſa contrahere renuit, debet ab Ordinario loci compelli etiam pænâ Excommunicationis, ut mandat *Trid.* ſes. 25.

12. Quibûs de cauſis diſsolvi poſsunt ſpõſalia? Vide in Felici Poteſt. t. 1. p. 4. n. 3939.

DENUNTIATIO.

13. *Quid eſt Denũtiatio?* ℟. Eſt Proclamatio publica in facie Eccleſiæ de Matrimonio duorum inter ſe contrahendo, facta ad eum finem, ut ſi aliquod ſit impedimentum inter contrahentes à fidelibus detegatur. Quæ Denuntiatio debet fieri omnino trina ante Matrimonium ſub peccato mortali tam

Paro-

Parochi, quàm contrahentium uti præcepit *Trid.* ſeſ. 24. c. 1.

14. *Poteſtne Ordinarius diſpenſare ut abſq; omni denuntiatione, vel unâ tantùm præmiſsâ contrahatur Matrimonium?* ℞. Affirmativè; Ex juſta tamen cauſa, ut ſi v.g. per denuntiationem fiat infamatio contrahentium, aut irriſio, quia vel concubinarij ſunt, vel valdè ſenes, aut diſpares, vel ſi ambo vagi vel ignoti; gratis enim de illis fieret denuntiatio, ſiquidem non noſcuntur à Parochianis. Benè tamen facit Ordinarius, ſi à talibus juramentum exigat, quòd ſint liberi, vinculô Matrimonij aut ſponſalium non ligati.

IMPEDIMENTA
Matrimonii.

15. *Quid eſt Impedimentum Matrimonij?* ℞. Eſt: Obſtaculum quoddam impediens ne licitum aut validum fiat Matrimonium.

16. *Quotuplicia ſunt Impedimenta?* ℞. Duplicia: Alia: *Impedientia* tantùm, & Alia: *Dirimentia.* Priora Matrimonium illicitum reddunt. Poſteriora verò illicitum & invalidum.

§. 1.

De Impedimentis Impedientibus tantùm.

1. *Quot sunt Impedimenta Impedientia?* R. Licèt ante *Trid.* fuerint plura, nunc tamen quatuor solùm numerantur, videlicet: *Interdictum*, *Sponsalia*, *Crimen* & *Votum*.

2. *Quid intelligitur per Interdictum?* R. Intelligitur certum tempus ab Ecclesia institutum, quô prohibentur nuptiæ solemnes celebrari. Tale autem tempus juxta *Trid.* est: ab Adventu ad Epiphaniam, & à Feria quarta Cinerum usq; ad Octavam Paschæ inclusivè. De licentia tamen Ordinarij possunt hîs temporibûs celebrari Sponsalia & Matrimo. absq; solemnitatib9 tamen.

3. Quid intelligitur per Sponsalia? Vide supra n. 9.

4. *Quid intelligitur per Crimen?* R. Intelliguntur septem delicta hîs versibûs expressa:

Incestus, Raptus Sponsæ, Mors Mulieris,
Susceptio propriæ sobolis, Mors Presbyteralis,
Vel si pæniteàt solemniter, aut Monialem
Accipiat, probibent hæc conjugiũ sociandũ.

Nunc autem sunt tantùm talia crimina sex, quia non est modò in usu publicas pæniten-

tias

tias in Ecclesia agere, sicuti fuit mos antiquitus, quô tempore, pænitenti non licebat nubere.

Explicantur hæc crimina.

Incestuosus est ille, qui peccat carnaliter cum consangvinea suæ conjugis.

Raptum committit, qui rapit alienam Sponsam; pro quo neq; cum alia potest licitè contrahere Matrimonium.

Qui occidit uxorem, aut Presbyterum prohibetur nubere.

Qui est Patrinus propriæ sobolis ex mala intentione, nempe: ut cognationem contrahat spiritualem cum conjuge, & sic privet eum jure petendi debitum; talis in pænam, post mortẽ conjugis, prohibetur aliud inire Matrimonium.

Qui scienter contraxit Matrimonium cum Moniali professa, in tali casu & contractus illius Matrimonii est nullus, & contrahens in pænam peccati, non potest aliam ducere.

5. Hæc tamen crimina tacitè solent dispensari ab Ecclesia, ut advertit *Navar. Sanch.* & alii, eò quia pro dispensatione illorum, non solet fieri recursus ad Sedem Apostolicam.

6. *Quid intelligitur per Votum?* R. Non debet intelligi Votum solemne Castitatis, quia tale Votum non solum impedit, sed etiam invalidat Matrimonium, ut dicetur inferiùs; sed sermo est de Voto simplici castitatis, vel ingrediendæ Religionis, vel suscipiendi S. Ordines, aut non nubendi. Unde cum tali voto Matrimonium contrahens si dispensationem non obtineat non solùm mortaliter peccat, sed etiam debitum conjugale licitè petere non potest, licèt reddere teneatur, quia aliàs innocenti parti fieret injuria.

7. Nota tamen quòd Confessarii Regulares possunt dispensare cum Conjugibus ad petendum debitum matrimoniale, qui ante contractum Matrim. hujusmodi votum emiserint simplex Castitatis *Toran.* n. 10. ex PIO V. 28. Octob. 1569. Secùs verò dicendum est, si post contractum Matrim. hujusmodi Votum emiserint, nisi unus illorum id fecerit cum, vel absq; licentia alterius. *Portel.* n. 17.

8. *A quo possunt dispensari ista Impedimenta?* R. Ab Episcopo; exceptô tamen votô castitatis ac Religionis, nec non solemniter celebrandi nuptias tēpore prohibito.

9. Nota

9. Nota autem ex Mastrio dist. 20. q. 5. art. 4. quòd Summus Pontifex potest dispensare in omnibus Impedimentis jure Ecclesiasticô, non solùm Impedientibus, sed etiam Dirimentibus Matrimon. Ratio est, quia in cujus potestate est legem ponere, in ejus potestate est dispensare in illa; sed Summus Pontifex est Conditor juris Ecclesiastici; ergo etiam & Dispensator.

10. In illis tamen, quæ dirimunt jure Divinô dispensare non potest; quia dispensatio, est juris relaxatio, Papa autem non habet potestatem in Jus Naturale & Divinum cum hæc sint superioris Ordinis. Habet tamen potestatem declarandi & interpretandi, quando præcepta Naturæ obligant, quando non, in quibusdam gravissimis casibus, & sic habet potestatem dispensandi declarativè in jure Naturali & Divino; ut patet etiam ex praxi de Casimiro Rege Pol. jam Diacono apud Benedictinos, & Constantia Sanctimoniali Rogerij Siciliæ Regis Filia, quam Celestinus Papa dispensavit, ut post Professionẽ, Henrico Regi VI. nuberet.

§. 2.

De Impedimentis Dirimentibus.

1. *Quot*

1. *Quot sunt Impedimenta Dirimentia?* R. Ante *Trid.* fuerunt 12. Postea *Trid.* addidit alia duo, nempe Raptum, & Absentiam Parochi unde modò sunt 14. hîs versibûs expressa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamē, Honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parochi aut duplicis desit præsentia testis.
Raptaq; sit mulier, nec parti reddita tutæ
Hæc socianda vetant connubia facta retractāt.

2. *Quotuplicia sunt hæc Impedimenta?* R. Duplicia: Alia quæ invalidant Matrimon. jure naturali & Divinô, & talia sunt quinq;: Error, Impotentia perpetua, Consanguinitas in primo gradu, Vis, & Ligamen. Et alia quæ invalidant solùm jure Ecclesiastico, & hujusmodi sunt reliqua novem.

Explicantur hæc Impedimenta Dirimentia:

I. ERROR.

3. *Quotupliciter potest contingere Error in Matrimonio?* R. Dupliciter: Alius: circa Substantiam Personæ, ut si quis ducat Annam putans esse Helenam. Et Alius: circa Qualitatem Personæ, ut si quis ducat Annam

nam putans illam esse nobilem, divitem, Virginem, quam postea non talem invenit.

4. Error circa substantiam Personæ semper invalidat Matrimonium; Quia taliter errantis nullus est consensus, nihil enim est volitum nisi præcognitum, non præcognita autem fuit Anna, sed Helena. Error autem circa qualitatem Personæ per se non dirimit Matrimon. Ratio est, quia in tali casu contractus quò ad essentiam est voluntarius; nam intentio nubendi vg. cum Rosa, non respicit qualitatem illam in Rosa (vg. Nobilitatem) per se, & tanquam objectum, sed tanquam aliquid accidentale objecto per se.

5. Si tamen Matrimon. dependebit à qualitate tanquam à Conditione, ut si vg. Contrahens diceret sivè expresè, sive intra se: Duco te in uxorem si Virgo es, tunc utiq; dirimeret Matrimon. etiam qualitatis error, nam si non reperiret Virginem, nullus esset illius consensus.

II. CONDITIO.

6. *Quid intelligitur Nomine Conditionis?* ℟. Intelligitur status servilis alicujus ex contrahentibus, & quidem non qualiscumq;

servi-

ſervitus, ſed illa quæ Mancipium reddit ita ſubditum Domino, ut ab illo poſſit vendi pro ſuo libitu.

7. *Quando Error Conditionis invalidat Matrimonium?* ℟ Tunc, quando conditio errantis fit deterior; ut dum libera contrahit cum Servo, quem credebat eſſe liberum. Ratio eſt, quia Eccleſia hoc Impedimentum appoſuit, ut non fiat injuria Perſonis liberis, magna autem eſſet injuria illius liberæ, quæ mancipio traderet ſuum corpus, & ſic ratione vinculi cum ipſo fieret aliquomodo mancipiū.

8. Quando autem Matrimonium contractum fuiſſet cum errore Conditionis, ita ut Perſona cum qua contrahitur eſſet æqualis aut melioris conditionis, quàm ille qui ſic erraret, non eſſet invalidum, ut ſi vg. Servus contraheret cum Serva, quàm putabat eſſe liberam, aut cum libera, quàm judicabat eſſe Servam. Ratio eſt, quia in utroq; caſu conditio contrahentis non eſt deterior, ſed in primo caſu eſt æqualis, in ſecundo eſt melior, & ſic nulla eſt injuria erranti.

III. VOTUM.

9. *Quale Votum eſt Impedimentum Dirimens*

mens Matrimonium? ℟. Votum ſolemne; Et tale Votum duplex eſt duntaxat, nempe: Profeſſionis Religioſæ, & Votum Caſtitatis SS. Ordinibus annexum. Et hoc Votum ſi ſit emiſſum ante Matrimonium, invalidat illud, ſi verò poſt initum Matrimonium emitteretur, nullum eſſet, quia prior contractus Matrimonij deſtrueret valorem ejus. Taliter tamen Vovens, non poſſet petere conjugale debitum, licèt reddere teneretur.

IV. COGNATIO.

10. *Quid eſt Cognatio?* R. Eſt quædam conjunctio inter certas Perſonas.

11. *Quotuplex eſt Cognatio?* ℟. Triplex: Legalis, Spiritualis, & Naturalis.

Legalis eſt: Propinquitas perſonarum ex adoptione proveniens.

12. *Quid eſt Adoptio?* R. Eſt: Perſonæ extraneæ in Filium, aut Filiam legitima aſſumptio.

13. *Quotuplex eſt Adoptio?* ℟. Duplex: Una *Perfecta* quæ etiam Arrogatio dicitur. Altera *Imperfecta* ſeu ſimplex. Perfecta eſt, per quàm Perſona extranea tranſit in poteſtatem adoptantis, & fit hæres illius neceſſarius, non minùs ac Filii Naturales.

Et

Et talis adoptio fit non nisi Authoritate Supremi Principis. Imperfecta est, per quàm adoptatus non transit in potestatem adoptantis (quia est sub potestate Patris sui Naturalis) & non est hæres necessarius in testamento, sed tantùm ab intestato.

14. Conveniunt omnes DD. ex Adoptione Perfecta, oriri Cognationem Legalem Matrimonium dirimentem. Utrum autem oriatur ex adoptione Imperfecta? aliqui negant: alij autem cum V. Scoto in 4. d. 40. q. Un. affirmant. Ratio est, quia etiam talis Adoptio est verè & propriè adoptio. Tum quia ubi jura non distinguunt neq; nos distinguere debemus. jura autem hac in re indistinctè loquuntur de Adoptione absolutè sumpta.

15. *Quid est Cognatio Spiritualis?* ℟. Juxta V. Scotum in 4. d. 42. q. Un. est: Quoddam vinculum inter certas Personas contractum ex dispensatione Sacramentorũ Baptismi & Confirmationis.

16. Hæc Cognatio est ex solo jure Ecclesiastico statuta, ut patet in *Trid.* ses. 24. c. 2. Ratio autem congruitatis est, cur Ecclesia hanc Cognationem Spiritualem constituerit, potiùs ex susceptione Baptismi &

Confirmationis, non verò aliorum Sacramentorum, quia ſicuti per generationem naturalem contrahitur naturalis cognatio, ita etiam per generationem ſpiritualem quæ fit per hæc Sacramenta, conſtituitur cognatio Spiritualis, & ſicuti cognatio naturalis dirimit Matrimon. ita etiam ſpiritualis.

17. *Quot Perſonas afficit hæc Cognatio Spiritualis?* ℞. Licet ante *Trid.* plures afficiebat, nunc tamen ſolùm verſatur inter ſex: 1. Inter Baptizatum vel confirmatum, & inter baptizantem & confirmantem. 2. Inter baptizatum vel confirmatum & inter Patrinum vel Matrinam. [Et hæ duæ cognationes vocantur Paternitas & filiatio ſpiritualis.] 3. Inter Patrem & Matrem baptizati vel confirmati, & inter baptizantem vel confirmantem. 4. Inter Patrem & Matrem baptizati, ac inter Patrinum & Matrinam.

18. Nota tamẽ quòd dũ adminiſtratur privatim baptiſmus, nõ cõtrahitur cognatio ſpiritualis à baptizato cũ Patrino & Matrina neq; à Patrino & Matrina cũ Patre & Matre baptizati. Ratio eſt, quia cognatio ſpiritualis ex parte illorum nõ contrahitur præcisè propter munus quod exercent, ſed quia illud exer-

cent

cent ſolemniter. Jlle tamen baptizans ſemper contrahit cognationem ſpiritualem, etiamſi absq; ſolemnitate baptizet, exceptô caſu ſummæ neceſſitatis, ut dum maritus ſuam prolem morientem baptizat, pro tunc nullam incurrit cognationem.


19. Si plures quàm duo concurrant Patrini, illi tantùm contrahunt cognationem ſpiritualem, qui à Parentibus vel horum locô à Parocho ad munus Patrini ſunt deſignati, ut ſtatuit *Trid.* ſes. 24. c. 2. Quòd ſi plures à Parentibus vel ab ipſo Parocho adhibeantur Patrini, omnes cognationē ſpiritualem contrahent, ut docet P. *Kloz* l. 4. t. 11.

20. *Quid eſt Cognatio Naturalis?* ℟. Eſt: Vinculum Perſonarum, quæ ab eodem proximo ſtipite per carnalem propagationem deſcendunt. Et hæc Cognatio vocatur etiam Conſanguinitas, quæ diſtinguitur per lineas & gradus.

21. *Quid intelligitur per Lineam?* ℟. Intelligitur collectio perſonarum tam aſcendentium quàm deſcendentium ab uno eodemq; ſtipite. Stipes autem vocatur Perſona illa, à qua deſcendunt vel aſcendunt.

22. *Quid intelligitur per Gradum?* ℟.

Intel-


Abavus 4.
Propatruus 4.
Proavunculus 4.
Horũ Filius 4.
Horũ Filius 4.
Eorum Nepos 4.
Eorũ Nepos 4.
Eorum Pronepos 4.
Eorũ Pronepos 4.
Proavus 3.
Patruus 3
Avunculus 3.
Sobrinꝰ 3.
Sobrinꝰ 3.
Avus 2.
Horum Filius 3.
Horũ Filius 3.
Patruꝰ. 2.
Avunculus 2.
Eorũ Nepos 4
Eorũ Nepos 4.
Amitinꝰ 2.
Consobrinus 2
Pater 1.
Horũ Filius 3.
Horũ Filius 3.
Eorũ Nepos 4
Eorũ Nepos 4.
Frater 1
Soror 1.
Ejus Filius 2.
Eius Filius 2.
Petrus
Nepos 3.
Eius Nepos 3
Pronepos. 4.
Sororis Pronepos 4.
1. Filius
2. Nepos
Arbor Consanguinitatis
3 Pronepos
4. Abnepos

Intelligitur major vel minor distantia unius personæ ab alia secundùm lineam Consanguinitatis.

23. *Quotuplex est Linea?* ℟. Duplex: *Recta & Collateralis.* Recta est illa, secundùm quàm multæ personæ descendunt ab uno stipite ita, ut una sit genita ab alia vg. Filius à Patre, Nepos à Filio. Collateralis est illa, secundùm quàm multæ personæ ab uno stipite procedunt, ipsæ tamen personæ à se invicem non descendunt ut est vg. Frater & Soror.

24. *Quotuplex est Linea Recta?* ℟. Duplex: alia *Descendens*, quæ est à Persona generante ad genitas, ut Pater, Filius, Nepos &c: Et Alia *Ascendens*, quæ est à persona genita ad generantem, ut Pater, Avus, Proavus &c.

25. Ad dignoscendos ipsius Consanguinitatis gradus quomodo nempe una persona distet ab alia tres generales assignat regulas V. *Scotus* in 4. d. 4. q. Un.

Prima Regula est, quòd in linea recta tot numerantur gradus, quot generationes sunt. Undè Pater & Filius in primo gradu sunt, quia Filius à Patre una generatione descendit. Nepos verò, quia ab eo duabus

duabûs generationibûs descendit, est in secundo gradu, & sic deinceps.

Secunda Regula est, quòd in linea Collaterali æquali (quæ est inter Personas à communi stipite æqualiter distantes] tot gradibûs Personæ singulæ conjunguntur inter se, aut distant, quot gradibûs conjunguntur aut distant à communi stipite. Unde Frater & Soror sunt in primo gradu lineæ Collateralis, quia in primo gradu conjunguntur cū communi stipite nempe Patre.

Tertia Regula est, quòd in linea Collaterali inæquali [quæ est inter Personas à communi stipite inæqualiter distantes) tot gradibûs unus conjungitur alteri, & ab eo distat, quot gradibûs remotior Persona distat à communi stipite, & ei conjungitur. Unde Patruus & Nepos sunt in secundo gradu, quia eodem gradu distat Nepos ex Fratre ab Avo, qui est stipes utriusq;.

26. Hæc Cognatio dirimens Matrimon. extendebat se olim usq; ad septimum gradum, postea autem ab *Innocentio* III. & *Trid.* ses. 24. solùm ad quartum gradum inclusivè extendi potest.

V. CRIMEN.

27. *Quotuplex est Crimen dirimens Matrimo-*

trimonium? ℟ Duplex: *imum* eſt: Homicidium, ſeu occiſo conjugis; Alterum verò Adulterium:

28. *Quot conditiones requiruntur ad hoc, ut Homicidium ſecluſô Adulteriô dirimat Matrimonium?* R. Quatuor: *ima* Ut Uxor occidat Maritum ſivè per ſe & immediatè ſive per alium, jubendo vel conſulendo. *2da.* Ut Vir & fæmina, qui Matrimonium contrahunt, ambo ſimul in mortem conjugis conſpirent. *3tia.* Ut in finem contrahendi ſecum Matrimoniū, machinentur mortem. *4ta.* Ut ipſa mors ſequatur realiter ex eorum actione, & nō alia de cauſa.

29. Similiter etiam Adulterium ut ſit Impedimentū Dirimens Matrimonium, requirit aliquod ex his tribus peccatis. Vel quia conjungitur cum homicidio conjugis. Vel quia poſt factū Adulterium, adeſt promiſſio Matrimonij futuri cum adulterante. Vel etiam quia actu adulterantes contrahunt ſecum clandeſtinum Matrimonium, vivente altero conjuge adulterantis.

VI. CULTUS DISPARITAS.

30. *Quid intelligitur per Diſparitatem Cultûs?* ℟. Intelligitur diverſitas Religio

nis

nis inter contrahentes Matrimonium, dum videlicet infidelis cum fideli, vel fidelis cũ infideli contrahit. Infidelis autem hìc sumitur pro non baptizato, ut eſt vg. Judæus, Gentilis &c. & etiam Catechumenus, qui eſtò jam habeat fidem, quia tamen nondũ ingreſſus eſt per januam Sacramentorum, ſcilicet baptiſmum, idèó non poteſt accedere ad Sacramentum Matrimonij.

31. *Validumne eſt Matrimonium fidelis cum Hæretico?* ℞ Antea fuit validum & ſolùm illicitum, ut patet ex Conc. *Carth.* III. Can. 12. & *Chal.* C. 14. Nunc autem ex Conſt. *Benedicti* XIV. [quæ incipit: *Magnæ nobis* &c.) 1748. eſt invalidum, etiamſi promittat ſe Hæreticus ſuſcepturum fidem Catholicam; ſed omninò profeſſionem fidei facere debet, antequam Matrimonium contrahat.

32. *Quando ex conjugibus infidelibus unus convertitur ad fidem, & alter non, an converſus poſſit deſerere conjugem infidelem & nubere fideli?* R. Affirmativè, etiamſi infidelis cohabitare vellet cum converſo pacificè & abſq; injuria Creatoris, ut patet 1. *ad Cor.* c. 7. ubi Apoſt. ait. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſervituti*

ſubje-

subjectus est Frater aut Soror in hujusmodi. Tum quia ut notat *Laym.* l. 5. t. 10. p. 2. Romæ consuetudo est, quòd dum Judæus aut Judæa convertitur ad fidem 40. dies assignantur ad deliberandum, quibûs expletîs, si alter conjugum converti renuat, separatio inter illos instituitur.

33. Quòd si ambo infideles convertantur ad fidem Catholicam, possunt & debent in Matrimonio priùs contracto permanere, in quo casu, si vir infidelis plures haberet uxores, debet cæterîs dimissis primam retinere si velit converti. Ratio est, quia cum Polygamia sit jure Divinô prohibita, talis cum prima non nisi validum contraxit Matrimonium. Quòd si prima uxor nolit converti, poterit pro libitu suo aliquam ex antiquis suis uxoribus copulare sibi in Matrimonium, vel etiam quamcunq; aliam, ut notat P. *Kloz* l. 3. t. 33.

34. Advertendum tamen est, quòd dum unus Conjugum fidelium apostatat à fide, secundus etiamsi innocens non potest alteri nubere, stante vitâ Apostatæ. Ratio est, quia inter tales non solùm Matrimonium fuit validum in ratione vinculi & contractûs, sed etiam in ratione Sacramenti.

Ex qua ratione habetur clara disparitas cur infidelis maritatus conversus ad fidem potest aliud inire Matrimonium, non autem fidelis, cujus conjunx apostatavit à fide. Quia videlicet inter infideles contractum Matrimonium nullum fuit in ratione Sacramenti, inter fideles autem fuit Matrimonium validum etiam in ratione Sacramenti. Tum quia hoc specialiter conceßit Christus in favorem conversi ad fidem, ut patet 1. *ad Cor.* c. 7.

VII. V I S.

35. *Quid per Vim intelligitur?* ℟. Gravis metus injustè incussus, quando nimirum aliquis per vim ad contrahendum inducitur Matrimonium, quod nullomodò contraxisset, nisi ad illud per vim compulsus fuisset. Taliter enim contractum Matrimonium est nullum, non solùm jure Ecclesiastico, sed etiam jure naturali & Divinô, propter defectum libertatis ad contractum Matrimonij requisitæ.

VIII. R A P T U S.

36. *Quid est Raptus Dirimens Matrimonium?* ℟. Juxta *Trid.* ses. 24. est Violenta abdu-

abductio fœminæ in ordine ad contrahendum Matrimonium.

37. *An committitur Raptus si fœmina abducatur de Domo Parentum, precibûs, blanditiîs, donîs aut promissîs?* ℞. Negativè, quia tunc non erit violenta abductio. Similiter dum educitur invitîs Parentibûs, aut illîs sub quorum cura est, ipsâ verò consentiente, non committitur talis Raptus. Ratio est: quia *Trid:* loc: cit: de illo tantùm loquitur Raptu, quô læditur libertas ad Matrimonium requisita, in casu autem hæc non læderetur, siquidem non libertas Parentum, sed ipsius fæminæ contrahentis est necessariò requisita ad valorem Matrimonii.

38. Item dum rapitur fæmina non propter contrahendum Matrimonium, sed causa satiandæ libidinis, non fit Raptus dirimens Matrimonium, ùt notat *Diana Sanch.* & alii. Ratio eorum est: quia qui fæminam rapit, solùm ad explendam libidinem, non violat libertatem ad Matrimonium requisitam, quia per hoc non supponitur ab illo cogi ad Matrimonium.

39. Hoc Impedimentum jure antiquo ita dirimebat Matrimonium, ut etiamsi rapta

in pristinam libertatem remissa, consentire & contrahere vellet cum suo raptore, nullatenùs validè fieret Matrimonium. Jure autem novissimô *Trid.* ses: 24. c. 6. solùm pro tunc irritatur Matrimonium, quandò rapta in potestate raptoris manet, postquā autem in locum liberum restituta fuerit extra potestatem raptoris, potest cum eodem contrahere si velit, absq; ulla Impedimenti dispensatione.

IX. ORDO.

40. *Per Impedimentum Ordinis, quid intelligitur?* ℟. Tres Sacri, Ordines, qui non solùm ratione Voti solemnis castitatis quod habent annexum, sed etiam ratione Ordinis dirimunt Matrimon. ita, ut si Clericus initiatus hìs Ordinibûs, aut aliquô illorum contraheret Matrimonium, nullum esset, ut patet ex *Trid.* ses. 24. can. 9.

X. LIGAMEN.

41. *Per Ligamen quid intelligitur?* ℟. Juxta V. Scotum in 4. d. 33. intelligitur: Vinculum Viri cum uxore post contractum legitimum Matrimoniū sive consummatum, sive tantummodo ratum; quamdiu enim hoc vinculum durat, Matrimoniū cum quo-

vis

vis alio contrahendum impedit ac dirimit, non tantùm jure Ecclesiasticô, sed etiam Divinô, ùt patet ex verbis Christi *Mat.* 19. *Quicumq; dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mœchatur.*

XI. HONESTAS.

42. *Quid intelligitur per Honestatem?* ℟. Juxta V. Scotum in 4. d. 41. intelligitur: Propinquitas quædam jure Ecclesiasticô introducta, orta ex Sponsalibus, inter Spõsum & Consanguineos Sponsæ, vel è contra, inter Sponsam & Consanguineos Sponsi. Aut etiam oriens ex Matrimonio rato nondum consummato inter Maritum & Consanguineos uxoris, & è contra.

43. Hoc Impedimentum jure Ecclesiasticô invalidat Matrimonium contractũ cum persona Consanguinea illius, cũ qua Sponsalia vel Matrimonium ratũ inierat. Quod jure antiquô dirimebat Matrimonium inter Sponsum & Consanguineos Sponsæ, usq; ad quartum gradum. Jure tamen novo *Trid.* ses. 24. c. 3. ultra primum gradum non extenditur. Unde si quis contraheret Sponsalia cum Anna, illâ mortuâ non posset cum ejus Matre vel Sorore contrahere, quia sunt

in primo gradu, in cæteris autem gradibus posset.


XII. AFFINITAS.

44. *Quid intelligitur per Affinitatem?* ℞. Juxta Doctorem Subtilem in 4. d. 41. intelligitur: Vinculum quoddam Personæ ad Personam ex carnali copula, cum persona alteri consanguinea contractum, sive hæc copula sit licita sive illicita.

45. *Inter quos, Affinitatis Impedimentum contrahitur?* ℞. Inter Consanguineos Viri cognoscentis fæminam, & ipsam fæminam cognitam, & è contra intra Consanguineos fæminæ cognitæ, & inter ipsum Virum cognoscentem, ut si vg. Petrus habeat copulam cum Anna, fit affinis cum Consanguineis Annæ, & quidem in eo gradu, in quo sunt ipsi Consanguinei Annæ, cum ipsa Anna.

46. Licèt autem Petrus fiat affinis cum Consanguineis ipsius Petri, Consanguinei tamen Petri, & Consanguinei Annæ nullô jure sunt Consanguinei inter se, quia affinitas non parit affinitatem. Tunc autem non nisi dirimit, quandò ante Matrimonium contrahitur, quòd si post contractum

com-



Abavus 4.
Abavia 4.
Proavus 3.
Proavia 3.
Avus. 2.
Avia. 2.
Pater. 1.
Mater. 1.
Pronepos. 4.
Nepos. 3.
Eius Filius 2.
Frater. 1.
Maritus Petrus.
Uxor. Anna
Soror. 1.
Eius Filia. 2
Neptis. 3
Proneptis. 4.
1. Filius.
1. Filia.
2. Nepos.
2. Neptis
3 Pronepos.
3 Proneptis
4. Abnepos
4 Abneptis.
Arbor Affinitatis

committatur, solùm impedit committentem ne possit licitè petere debitū á suo Conjuge.

47. Nota tamen, quòd Confessarii Mendicantes possunt dispensare cum Conjugibus incæstuosis in primo & secundo gradu ad petendum Matrimoniale debitum. Ita *Franc. Torang* &c.

48. Affinitas, orta ex copula illicita, dirimit Matrimonium ad secundum duntaxàt gradum, orta autem ex copula licita, dirimit usq; ad quartum gradum, ùt notat *Trid.* ses. 24. c. 4.

49. Affinitatis gradus mensurantur juxta gradus Consanguinitatis, unde distantia vel propinquitas affinitatis mensuranda est juxta distantiam vel propinquitatem graduum Consanguinitatis, cum ea persona, per quam contrahitur affinitas. Quare stipes in Affinitate, sunt illæ duæ personæ, quæ se carnaliter cognoscunt.

50. Ad cognoscendam Affinitatis distantiam & propinquitatem, talem assignat regulam V. *Scotus* loc. cit. *Quotò gradu consanguinitatis aliquis distat ab alio, totò gradu affinitatis ab eodem distat illa, quæ est ab isto carnaliter cognita.*

XIII. IMPOTENTIA.

51. *Per Impotentiam quid intelligitur?* ℟. Inhabilitas perpetua ad consummandum Matrimonium, sive hæc Impotentia proveniat ex parte Viri, sive ex parte fæminæ.

52. *Quotuplex est Impotentia?* R. Duplex una *Perpetua*, quæ nullâ arte & nullô modô tolli potest. Et alia *Temporalis*, quæ solùm ad tempus impedit copulam vg. propter ægritudinem fæminæ, vel propter frigiditatem Viri.

53. Item alia est *Antecedens*, & alia *Consequens* Matrimonium.

54. *Quæ Impotentia irritat Matrimonium?* ℟. Impotentia perpetua & Antecedens Matrimonium, cùm enim finis primarius Matrimonii sit prolis generatio, debet in Conjugibus præsupponere habilitatem ad copulam, siquidem absq; hac, generatio prolis haberi non potest.

XIV. *Præsentia Parochi & Testium.*

55. Ante Conc: *Trid.* validum fuit Matrimonium clandestinum, quod clam seu extrà conspectum Ecclesiæ sine præsentia Parochi & duorum vel trium testium contrahi solebat, nunc autem juxta *Trid.* ses. 24. *de Ref. Matrim.* c. 1. pro invalido habetur.

56. Sufficit autem Parochus ad valorem Matrimonii, etiamsi non sit actu Sacerdos; in delegato autem requiritur omninò Sacerdotium. Ratio primæ partis est, quia *Trid.* tantùm requirit Parochum sine additò, quòd sit Sacerdos. Ratio secundæ partis est, ipsa declaratio *Trid.* ubi in delegato vult omninò Sacerdotium, ùt notat *Bossius.*

57. Valida esse Matrimonia Catholicorũ sine præsentia Parochi duobûs tantùm testibûs adhibitîs in locis Hæreticorum, ubi ob metum vel potentiam Hereticorum nullus adest Episcopus vel Parochus aut alius Sacerdos ab illis licentiam assistendi habens, ùt docet P. *Kloz* l. 4. t. 3. quia talem casum *Trid.* non supponitur comprehendere.

58. *Quomodò revalidandũ sit Matrimoniũ habitâ dispensatione Impedimenti Dirimentis?* ℟. Debet alter Conjux informari de nullitate Matrimonii, & facere novum consensum; si autem nullitas Matrimonii absq; infamia vel periculo manifestari non posset, tunc non apertô impedimentô interrogari debet Conjux nullitatis inscius, ita: vg. *Si contractus Matrimonii nostri esset invalidus, an velles me habere Maritum?* Si responde-

at affirmativè, tunc & ipſe etiam affirmet. Quòd ſi neq; talî modô poſſet haberi conſenſus, ſufficiet copula maritalî affectu facta, ùt docetur cap. ult. *De Conjug. Servo.*

59. *Quãdò revalidatur Matrimoniũ debetnè adeſſe Parochus & Teſtes?* ℞. Negativè etiamſi uterq; ſciret nullum eſſe Matrimonium. Ratio eſt, quia illud ſolùm debet adeſſe in revalidatione, quod deficiebat in contractu Matrim. ſolus autem conſenſus deficiebat, non autem Parochus aut Teſtes, quia hi ſupponuntur adfuiſſe.

DIVORTIUM.

60. Matrimonium validè contractum, eſt ita indiſſolubile quò ad vinculum, ùt ex natura ſua inter contrahentes nexum requirat perpetuum, & quidem non ſolum jure Eccleſiaſticô ſed etiam Divinô, ut patet ex illo *Mat.* 19. *Quicumq; dimiſerit uxorem ſuam, mœchatur.* Et Marci 10.

61. Exceptô tamen Matrimoniô ratô non conſummatô, quod ſolvi poteſt etiam quò ad vinculum per Profeſſionem Religioſam. Permittitur enim ab Eccleſia cuilibet conjugum bimeſtre tempus ad deliberandũ, utrum velit conſummare Matrimonium vel potiùs Religionem ingredi, ùt habetur in

Trid. ses. 24. Can. 6. Ratio est, quia ex una parte status Religionis perfectior, quàm status Matrimonii: ex altera parte nulla fit injuria alteri Conjugi, siquidem potest æquè benè nubere alteri ac antea, cùm sit Virgo. Quòd si consummatum fuerit, nullomodò potest solvi quò ad vinculum, sed solùm quò ad thorum, id est solam obligationem reddendi conjugale debitum & mutuam cohabitationem, quæ dissolutio vocatur Divortium.

62. Divortium perpetuum quòad thorum & cohabitationem potest fieri propter commissum adulterium etiam propria Authoritate Innocentis non expectatâ Judicis sententiâ, præsertim quandò adulterium est publicum, ut notat P. *Kloz.* In quo casu conjunx innocens potest statum suum mutare, vel per ingressum Religionis, vel per susceptionem SS. Ordinum etiamsi Conjunx adulter renuat. Non tamen post factum divortium potest mutare statum suum conjunx adulter inconsultô innocente, qui si Religionem vg. professus fuerit aut castitatem voverit, pars innocens invalidare potest. Ratio est, quia divortium fit ab Ecclesia in favorem partis innocentis, ut

docet *Sanch. Hurtad. Casp.* & alii.

63. *Quænam observari debent ad hoc ut justè fiat Divortium propter Adulterium?*

℞. *1mò.* Ut adulterium fiat cū culpa adulterantis, nam si vg. sit uxor cognita ab aliquo per fraudem se virum ejus simulante, vel si per vim fuerit ab alio oppressa, tale adulterium neq; sufficit ad divortium, neq; excusat virum à reddendo debito, quia non est peccatum nisi voluntarium, ut docent communiter DD.

2dò. Adulterium non sufficit ad divortium, ad quod alter conjunx consentit, vel fuit causa illius, quia pro tunc est particeps ejusdem culpæ, ut si vg. vir prostituat uxorem ut exerceat lenocinium, vel quando potest prohibere & non vult.

3tiò. Adulterium non sufficit ad divortium quandò ab utroq; conjuge commissum est, in tali enim casu injuria uni facta compensatur per injuriam ei ab altero illatam.

4tò. Si peccatum remittatur ab innocente expresè vel tacitè per petitionem debiti.

5tò. Si innocens post factum divortium adulteret, pro tunc enim jam nocens fit, & sic debet alium conjugem admittere, non obstante quòd sit divortium factum per senten-

ſententiam Judicis, nam inter illos ſemper manet vinculum Matrimonii, ut docent communiùs DD.

64. *Præter Adulterium ſuntnè etiam aliæ cauſæ divortii quò ad thorum & cohabitationem?* ℞. Affirmativè non quidem in perpetuum; ſed quamdiu ipſæ cauſæ durant.

65. *Quæ nā hæ ſunt cauſæ?* ℞. *1ma.* Cauſa eſt: Fornicatio ſpiritualis ſeu lapſus in Hæreſim.

2da. Eſt: Sævitia, ſi nimirum tanta eſt, ut grave malum inde inferatur vel inferri timeatur, & facile vitari nequit niſi factô divortiô, ut eſt vg. verberatio crudelis, aut mors per venenum inferenda.

3tia. Cauſa faciendi divortium eſt: grave periculum corporis, ex morbo contagioſo alterius conjugis, ut eſt peſtis, lepra, morbus Gallicus &c. quod tamen periculum, ſi eſt timendum ſolùm ex debito conjugali, non autem ex cohabitatione, tenebitur ſanus conjunx cohabitare cum infirmo.

66. *Poſt Divortium teneturnè Vir uxori præſtare alimenta?* ℞. Si ob culpam Mariti fiat Divortium tenebitur Vir alere uxorem, quia ab illa obligatione non liberatur

per

per suam culpam, quam sequitur hujusmodi separatio. Quòd si causa Divortii cesset, & ipsa ad Maritum redire renuat, non tenebitur ulteriùs, quia ipsa tunc est in culpa. Ita *Gob.* c. 39.

Si verò Divortium fiat ob culpam solius uxoris, non tenetur Maritus eam alere quia ipsa non fecit quod debuit Ita *La Croix.* l. 3. p. 1. n. 74.

67. Si tandem Divortium fiat ob culpam utriusque, probabiliùs manet Maritus obligatus alere uxorem, quia culpa unius compensatur per culpam alterius. Similiter si fiat absq; culpa alteriusutrius.

68. *Si uxor non haberet dotem, an tenebitur vir illam alere post Divortium ex parte sua proveniens?* ℟. Tenebitur, si scivit illam non habituram dotem, nam ducendo illam, tacitè se obligavit eã alere, ut docet: *Covarr. Rodriq.* contra *Sanch.* & *Bonac.* Quòd si dos sit marito promissa & non reddita, nullô jure manet obligatus, quia se non obligavit alere illam nisi sub pacto dotis.

69. *An Vir teneatur reddere uxori dotem post Divortium factum ob Adulterium ejusdem uxoris?* R. Negativè cum *Sanch.* & *La Croix,* l. 3. p. 1. n. 716, imò neq; hæ-

redes

redes bonorum Mariti poſt ejus mortem tenebuntur ad reddendam dotem, in quo caſu debebunt firmari Sententiâ Judicis.

PARS II.
De Ordine tàm in communi quàm in particulari, Cenſuris, Voto, Intentione & Horis Canonicis

SECTIO I.
De Ordine in Communi & ejus requiſitis

ARTICULUS I.
De Ordine in Communi

1. *Quid eſt Ordo?* R. Eſt: *Sacramentum in quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato ad Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium & Euchariſtiam perficiendam.*

2. *Quot ſunt Ordines?* R. Septem: *Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus Acolytha-*

thatus. Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus.

3. *Quotuplices sunt Ordines?* R. Duplices *Minores & non Sacri*, & tales sunt primi quatuor. Alij verò: *Majores & Sacri*, & tales sunt reliqui tres.

4. *Quare primi quatuor dicuntur Minores & non Sacri?* R. Quia versantur circa minora ac inferiora ministeria, & non habent annexum votum castitatis. Reliqui verò tres dicuntur: *Majores & Sacri*, quia & versantur circa majora officia, & habent annexum votum servandæ castitatis.

5. *Episcopatus estnè etiam Ordo?* ℟ Affirmativè. Ratio est: ex V. Scoto in 4. d. 24. q. U. quia Episcopo convenit specialis potestas, quæ non potest dici potestas jurisdictionis, quia aliàs posset ab illo auferri, quòd nemo concedit, adeoq; est potestas Ordinis.

6. *Concilia & Canones quoties de Ordinibus mentionem faciunt, semper septem tantùm numerant, nullam faciendo mentionem de Episcopatu?* ℟. Quia loquuntur solū de Ordinibus ad Sacerdotiū requisitis. Vel etiā prout comprehendunt & ipsum Episcopa-

tum

tum, nam Ordo Sacerdotij in duos dividitur gradus, quorum primus nempe ſimplex Sacerdotium verſatur ex officio circa Baptiſmũ Pænitentiam, Euchariſtiam, Extremam Unctionem & Matrimonium. Alter vero ſcilicet Epiſcopatus circa Confirmationem & Ordinem.

7. Ex quo patet, quòd Epiſcopatus non ita diſtingvitur à Sacerdotio, ſicut alij Ordines inter ſe, alij enim Ordines non habent inter ſe connexionem, niſi ex præcepto Eccleſiæ, unde Presbyteratus vg. ſi non habenti Diaconatum conferretur eſſet validus, Epiſcopatus verò absq; Presbyteratu nullus fuiſſet.

Papatus, Cardinalatus, & cæteræ Dignitates non ſunt Ordines, ſed quidam ſublimiores gradus, officia, & poteſtates in Eccleſia DEI.

8. *Omnes iſti Ordines ſuntnè unum Sacramentum Ordinis?* ℟ Affirmativè, quia ad unum finẽ omnes ordinantur, ſcilicet ad Sacrificium Miſſæ & Euchariſtiam conficiendam; & ideo ſunt unus Ordo unitate genericâ,

9. *Quotuplex eſt Materia cujuscunq; Ordinis?* R. Duplex: Una *Remota*, quæ ſunt

ipſæ

ipsæ res ab Episcopo porrectæ Ordinando ut vg. liber in ordinatione Lectoris. Alia *Proxima:* quæ est traditio materiæ remotæ, & ejusdem acceptio.

10. *Quæ est Forma hujus Sacramenti?* ℞ Sunt verba ab Episcopo prolata in traditione materiæ.

11, *Requiriturnè ad validitatem Ordinis ut instrumentum vg. liber aut patena tangatur tactu physicô immediato?* R. Non requiritur, sed sufficit si illud ordinatus tangat mediatè vg. per velum; Nam Presbyteratûs materia non solum est calix, sed etiam vinum, & tamen illud immediatè non tangitur sed mediô calice.

12. *Quis est Minister ordinarius Sacri Ordinis?* R. Solus Episcopus; Minores autem potest conferre & alius Prælatus Ecclesiæ ut sunt Abbates &c. Extraordinarius verò potest esse etiam simplex Sacerdos ex dispensatione Papæ, exceptô Presbyteratu, qui non nisi à solo Episcopo ministrari debet.

13. *Quot sunt Effectus Ordinis?* R. Quatuor. 1. Gratia habitualis. 2 Character. 3. Gratia Sacramentalis. 4. Privilegia; per Ordinem enim homo eximitur à jure Civili.

14. *Quandò fuit institutus Ordo?* R. In ul-

ultima Cæna à Christo dicente: *Hoc facite in meam commemorationem.*

15. *Quid servari debeat in ordinatione?* R, Primò servandum est tempus, nam licet Ordines Minores quôlibet die Dominicô conferri possunt, Majores tamen nonnisi in Sabbathis Quatuor Temporum, Sabbathô ante Dominicam Passionis, & Sabbathô Sanctô juxta Trid. ses. 23. c. 8. Possunt autem ministrari etiam extra hæc tempora obtentô à sede Apostolica speciali privilegiô.

16. Fratres tamen Minores & alij Regulares communicationem privilegiorum habentes ex concessione Sixti IV. Leonis X & novissimè Benedicti XIII in Constit. *Summè decet.* possunt ordinari extra tempora à Jure statuta, ut videre est apud Barbosã p. 2.

Secundò servanda sunt Interstitia in ordinatione, præsertim dũ Majores conferuntur, ut nempe post Annum Subdiaconus ordinetur in Diaconum, & iterum expectatô annô Diaconus fiat Presbyter. Ita *Trid.* ses. 23. c. 11.

17. Solet etiam præmitti ante Ordinationem jejunium, hoc tamen licet sit meritorium, nullibi tamen præceptum invenitur.

simi-

Similiter de ſumptione Euchariſtiæ dici debet præcipuè in ſuſceptione Minorum, qui etiam poſt prandium conferi poſſunt.

ARTICULUS II.

De Requiſitis ad Ordines.

1. *Quid ſunt Requiſita ad Ordines?* R. Sunt quædam qualitates tàm in Ordinando quàm etiam in Ordinante requiſitæ ad hoc ut validè & licitè miniſtretur Sacramentum Ordinis.

2. *Quotuplicia ſunt hæc Requiſita?* Triplicia: Alia: *Ex parte Sacramenti*, Alia: *Ex parte Ordinandi* Et Alia: *Ex parte Ordinantis.*

3. *Quid requiritur ad validè ſuſcipiendum Ordinem Ex parte Sacramenti?* Materia & Forma, quia hæc ſunt partes eſſentiales ejusdem.

4. *Quæ & quot ſunt Requiſita ad validè ſuſcipiendum Ordinem Ex parte Ordinandi?* ℟. Sunt quatuor 1. Ut Ordinandus ſit homo & quidem Viator (per Viatorem autem intelligitur: ille, qui eſt in hac mortali

tali vita quasi in via ad Patriam] 2. Ut sit Masculus. 3. Ut sit baptizatus. 4 Ut intentionem habeat.

5. *Quæ & quot sunt Requisita ad licitè recipiendum Ordinem Ex parte ejusdem Ordinandi?* ℟ Sunt Octo: 1. Ut Ordinandus sit in gratia. 2. Ut habeat Confirmationem ac primam tonsuram. 3 Ut habeat dimissoriales. 4. Ut sit examinatus. 5. Ut non sit innodatus aliquâ Censurâ. 6. Ut per saltum non ordinetur, sed gradatim post Minores Subdiaconatum accipiat &c, 7. Ut habeat annos à Trid. ses. 27. c. 12. requisitos, nempe pro prima tonsura & tribus Minoribus septimum annum completum, pro Acolithatu 12. completum, pro Subdiaconatu 22. inchoatum, pro Diaconatu. 23. inchoatum Pro presbyteratu. 25. inchoatum. 8. Si vult initiari Majoribûs Ordinibûs debet habere titulum sustentationis. *Quotuplex est titulus?* Vide *Sect. VI. Art.* 4.

6. *Quæ sunt Requisita ad validè ministrandum Ordinem Ex parte Ordinantis?* Sunt hæc: 1. Ut sit validè consecratus. 2. Ut habeat intentionem. Ad hoc autem ut licitè conferat Ordines, debet esse in statu gratiæ, non Excommunicatus, Suspensus,

aut

aut aliquô Canonicô impedimentô innodatus. Insuper debet suos non nisi subditos ordinare, non verò alterius Diœcesis, nisi habeat ab Ordinario licentiam.

7. *Quotupliciter potest aliquis esse subditus Episcopo?* ℞ Tripliciter. 1. Ratione *Originis:* quatenùs in ejus Diœcesi natus est. 2. Ratione *Domicilij:* quatenùs in ejus Diœcesi sibi mansionē elegit perpetuā. 3. Ratione *Beneficij*: quatenùs habet beneficium sufficiens in tali Diœcesi ad sustentandam vitam.

8. Fratres Minores ex Constit. Pij. V. *Etsi mendicantium.* Possunt ordinari à quocunq; Catholico Episcopo, qui hac in re mentem Conc. *Trid.* interpretatur, tenor Bullæ: *Sect. vero 23. cap. 8. dicit: Neminem nisi à proprio Episcopo ordinari posse statuens; in Regularibus locum non habere omninò declaramus, ita, quòd Fratres hujusmodi præfatos etiam S. Ordines à quolibet Antistite gratiam & communionem Apostolicæ sedis habente, Ordinarij loci minimè requisitâ licentiâ in locis seu domibus Fratrū hujusmodi, aut alibi recipere possint.*

9. Licet autem aliqui dicant hanc Bullam esse revocatam, à GREGOR: XIII. ad terminos Concilij Trid. Multi tamen cum

Por-

Fortel id negant, quia constitutio revocatoria Greg. non fuit promulgata ob mortem incidentem ejusdem Pontificis.

10. Tutiùs tamen facient Prælati Reg. dantes Dimissorias litteras ad alienum Episcopum cum expressione absentiæ proprij Episcopi, vel alterius causæ ob quam non est habiturus ordinationes, prout mandavit S. Cong. Concil. Trid. 1596. quæ ex quo est posterior Const. Pij. V. magis ligare debet.

11. *Quæ scientia requiritur ad ordines suscipiendos?* ℟ Ad primam Tonsuram sufficit scientia articulorum fidei, ultra quam ad quatuor Minores debet uniuscujusq; Ordinis notum esse Officium, Materia, Forma & Jntentio.

12. Ad Subdiaconatum & Diaconatum requiritur scientia Censurarum & aliarum pænarum Ecclesiæ, notitia Canonum, Rubricarum. Ceremoniarū &c, ut suo quisq; dignè satisfaciat Ordini ac Officio.

13. Ad Presbyteratum requiritur in ordinando, ut habeat illam scientiam, quâ posset docere populū, & administrare Sacramenta.

14. Ad Episcopatū requiritur, ut sit Doctor, aut licentiatus in S. Theologia vel in jure Canonico,

nonico. Jta *Trid.* ses. 22 c. 2. & ses. 23. c. 4.

15. *Debentne omnes Ordinandi de sua scientia examinari?* ℟. Affirmativè, licèt enim antea nos FF. Minores ab examine faciendo excepti fuerimus ex Const: ALEX: IV. & SIXTI IV. nunc tamen per *Trid.* hæc privilegia sunt nobis sublata. Et non nisi Patribus Soc: JESU post *Trid.* à GREG: XIII. concessa in Bulla quæ incipit: *Pium & utile* in quibus alii Regulares non communicant, ut patet legenti Bullam.

ARTICULUS III
De Intentione.

1. *Quid est Jntentio?* ℟ Est *Voluntas aliquid faciendi.*

2. *Quotuplex est Jntentio?* R. Quadruplex: *Actualis, Virtualis, Habitualis,* & *Jnterpretativa.*

Actualis est illa, per quam quis actu intendit aliquid facere.

Virtualis est: Ipsa intentio Actualis præterita non retractata, virtualiter permanens in aliquo quod influit in opus.

Habitualis est Facilitas quædam generata ex frequentatis intentionibus actualibus

incli-

inclinans hominem ad faciliter eliciendas intentiones.

Interpretativa eſt illa: per quam quis vult aliquid non in ſe ſed in cauſa. Ut ſi quis sciret ſe in ebrietate aliquod crimen conſueviſſe facere, talis dum vult inebriationem, vult etiam conſecutivè & crimen.

3. *Quotuplex eſt adhuc Intentio?* ℞ Duplex Una *Directa* quâ aliquid in ſe ipſo volumus. Et alia *Indirecta* quâ volumus cauſam aut aliquid cum re connexum, vel non impedimus exiſtentiam rei quam poſſumus & debemus.

4. *Qualis intentio requiritur ad validè miniſtrandum Ordinem ac etiam alia Sacramenta?* ℞ Licet ſit optima intentio Actualis ſufficit tamen virtualis ut docent communiter Doctores.

Ad validè autem ſuſcipiendum Sacramentum Ordinis & Matrimonij licet requiratur intentio Actualis aut Virtualis, non tamen ad alia Sacramenta, ad quæ ſuſcipienda ſufficit intentio Habitualis aut Interpretativa. Ratio diſparitatis eſt; quia cùm Ordo & Matrimonium faciant immutationem totius ſtatûs afferantq; gravia onera ſuſcipienti illa, & aliundè non ſint ſimpliciter ne-

cessaria ad salutem, idèó requiritur ad illa recipienda omninò perfecta intentio, ne postea in sustinendîs oneribus excusatio habeatur: Cæterùm alia Sacramenta, aut talia suscipientibus non imponunt onera aut si imponant ut vg. Pænitentia, sunt tamen necessaria simpliciter ad salutem.

Ex quo patet quòd major intentio requiritur in Ministro Sacramentorum, quàm in suscipiente illa; plùs enim semper requiritur ad agere quàm ad pati.

5. *Adhuc quotuplex est Intentio?* R, Duplex: Una *Absoluta:* per quam intenditur aliquid fieri absq; ulla conditione. Et alia *Conditionata:* per quam quis intendit aliquid facere cum conditione.

6. Ad hoc ut validè administret aut suscipiat quis Ordinem debet habere intentionem absolutã. Ratio est: quia Sacramentum Ordinis est signum efficax gratiæ, non esset autem tale si adesset intentio conditionata: nam talis intentio vel esset de futuro & sic suspenderet collationem Ordinis, quia dependeret à conditione futura. Vel esset de præterito, & tunc fieret absoluta & efficax si adesset conditio, inefficax si deesset.

7. Ex quo patet, quod Episopus absolu-

tam

tam semper intentionem habet in ordinatione, nam licèt ante ipsam protestetur se nolle ordinare eos, qui aliquô impedimentô Canonicô sunt innodati, tamen format aliam intentionem, absolutam, per quam vult ordinare omnes præsentatos. Unde etiamsi Irregularis accedat, validè, licèt illicitè ordinabitur.

8. In administratione omnium Sacramentorum intentio consistit in voluntate faciendi id, quod intendit S. Mater Ecclesia. sive illa voluntas exprimatur verbô, sive etiã per actum internum.

SECTIO II.

De Pænis Ecclesiasticis.

1. *Quot sunt species Pænæ Ecclesiasticæ?* ℞. Juxta Canonistas sunt septem: Infamia, Depositio, Degradatio, Irregularitas, Excommunicatio; Suspensio, & Interdictum.

2. *Quid est Infamia?* ℟ Est *Privatio vel diminutio bonæ famæ.*

3. *Quotuplex est Infamia;* ℟ Duplex. Una *Juris*, quæ à jure infligitur committenti enorme scelus. Alia *Facti*, quæ factô delictô statim incurritur.

Quia autem aliud est Jus Civile, & aliud Ec-

clesiasticum, hinc alij sunt infames de jure Ecclesiastico, & alij de jure Civili.

4. *Quot sunt Effectus Infamiæ?* R. Tres: 1. Irregularitas. 2. Exclusio à Dignitatibus tam Ecclesiasticis, quàm politicis & civilibus. 3. Incapacitas ad hæreditatem, si consangvinei querelam movent contra infamem.

5. *Quotuplex est Depositio?* ℞ Duplex: *Verbalis* quæ vocatur simplex. Et *Realis* quæ idem est ac Degradatio. *Prima* est illa, per quam Clericus arcetur ab Ordine vel beneficio, vel utroq; simul, quam sequuntur aliæ pænæ, ut est carceratio, condemnatio ad triremes &c.

6. *Degradatio* verò est illa, per quam Clericus solemniter & authenticè non solùm privatur beneficiô, sed etiam statu Clericali, ita ut à sæculari Judice velut simplex Laicus ad mortem possit condemnari. Cujus solemnitas describitur à Trid. ses. 13. c. 4. Et hæc est omnium pæna gravissima, per quam licèt auferatur status Clericalis, non tamen Character, aut potestas Ordinis

ARTICULUS I.

De Irregularitate

1. *Quid est Irregularitas?* ℞ Est *Impedi-*

dimentum Canonicum, Susceptionem Ordinum, ac susceptorum usum impediens. Dicitur: *Jmpedimentum Canonicum*, quia Jrregularitas est inducta jure Canonicô, non verò naturali aut Divinô, unde fœmina, aut non baptizatus non sunt propriè irregulares, quia non sunt impediti jure Ecclesiasticô sed Divinô.

2. *Irregularitas estne Cēsura?* ℞ Negativè. Ratio est, quia Censura cùm sit pœna Medicinalis, necessariò præsupponit culpam in censurato, Jrregularitas verò est purum impedimentum non necessariò præsupponens culpam, nam si aliquando requirit culpam, ut est Jrregularitas *Ex delicto*, non fertur tamen ut pœna, sed tanquam impedimentum proveniens ex delicto.

3. *Quotuplex est Irregularitas?* ℞ Duplex *Totalis & Partialis. Prima* privat omnis Ordinis susceptione & suscepti exercitiô. *Altera* verò impedit alicujus tantùm Ordinis susceptionem, aut suscepti exercitium ut vg. carens oculô sinistrô, est quidem inhabilis ad Sacerdotium, non tamen ad alios Ordines.

4: *Quotuplex est adhuc Irregularitas?* R. Duplex: Una *Ex delicto*, quæ incurritur

propter aliquod delictum in jure expressū. Alia *Ex defectu*, quæ est à jure imposita ob indecentiam, quam talis vel talis defectus affert Sacro Altari & ministerio.

5. *Quot sunt Delicta ex quibus contrahitur Irregularitas?* ℟ Septem: 1. Jteratio Baptismi voluntaria & absoluta. 2. Violatio Censuræ in susceptione vel exercitio Ordinum 3. Jndebita susceptio Ordinis (puta furtivè aut per saltum) 4. Exercitium illius Ordinis quem non habet, vg. si Diaconus Missam celebraret 5. Hæresis vel Apostasia quæcumq; à fide. 6. Jrregularitas incurritur ex delictis infamibus seu infamiam inducentibus, sive illa infamia sit imposita à jure Canonico, sive à jure Civili. 7. Contrahitur Jrregularitas ex homicidio vel mutilatione alterius, vel etiam sui ipsius. Quæ Delicta hîs versibûs exprimuntur.

Hæreticus, Baptismum iterans, Mutilans, Homicida.
Famosus, Violans Censuras unde ligatur,
Jmprobè suscipiens & tractans Ordinis Acta

6. *Quid requiritur ad hoc ut incurratur Jrregularitas Ex Delicto?* ℟ Requiritur actus externus, consummatus & mortalis. *Externus* quidem, quia actus interni non sub-

ſubjacent poteſtati Eccleſiæ. *Conſummatus* verò, quia ad incurrendam Jrregularitatem ex homicidio vg: non ſufficit deſiderium, aut conatus inferendæ mortis, quia lex requirit expreſſè factum ut advertit. *Suar* D. 44. S. 3. *Mortalis* autem; quia cùm Jrregularitas *Ex Delicto* ſit impedimentum magni boni, debet provenire ex gravi culpa.

Ab incurrenda Jrregularitate *Ex Delicto* excuſat ignorantia juris vel facti, ut docet *Suar. Sanch. Navar.* & alij.

7. *Quot ſunt Defectus ob quos incurritur Jrregularitas Ex Defectu?* R. Sunt octo. 1. Defectus animæ. 2. Corporis 3. Natalium. 4. Ætatis. 5. Sacramenti. 6. Bonæ famæ. 7. Libertatis. 8. Lenitatis. Qui Defectus hîs verſibûs exprimuntur.

Jnfamis, Bigamus, Mutilus, Juſtèq; cruetus
Neophytus, Obſtrictus, Nothus, Puer atq;
Jdiota.
Obſeſſus, Dèmens, Lunaticus, Hermaphroditus.

8. *Qui ſunt Jrregulares Ex Defectu Animæ?* R. 1. Jlliterati, qui ſcientiâ ad talem Ordinem requiſitâ carent. 2 Uſû rationis carentes, ut ſunt perpetuò amæntes, lunatici, arreptitij, epileptici, qui ſi anteà ordi-

nati sint, & per annum eô morbô non laborarunt, permittitur illis exercitium Ordinum, quia præsumuntur liberati. 3. Neophyti, hoc est recenter ad fidem conversi.

9. *Qui sunt Jrregulares Ex Defectu Corporis?* R Sunt hi: 1. Cæci, surdi, & similes ad exercitium Ordinis inepti. 2. Carentes pollice, indice, aut oculô sinistrô. 3. Enormiter mutilati, aut aliô quocumq; modô defectuosi, monstruosi. 4. Hermaphroditæ, qui de utroq; sexu participant.

10 *Qui sunt Jrregulares ex Defectu Natalium?* R. Jllegitimè nati, qui si sint geniti per simplicem fornicationem, vocantur *Filij naturales*. Si verò per Adulteriū inhonestum, aut Sacrilegium, dicuntur *Spurij*. *Filij Naturales* legitimari possunt dupliciter. 1. Per subsequens Matrimonium ratum inter eorum Parentes. 2. Per professionem Religiosam legitimantur quò ad Sacros Ordines, non verò quo ad Prælaturas, & Dignitates Ordinis.

11. *Qui sunt Jrregulares Ex Defectu Ætatis?* R Omnes illi qui non habent ætatem ab Ecclesia præscriptam in ordine ad suscipiendos Ordines, quæ Jrregularitas cessat adveniente terminô ætatis, aut dispensatione

Pa-

Papæ. Quæ autem ætas ad ſingulos requiritur Ordines? dictum eſt ſuperiùs *Sect. IV. Art· II. n. 5.*

12. *Qui ſunt Irregulares Ex Defectu Sacramenti?* R. *Bigami*, qui multiplicando Sacramentum Matrimonij carnem ſuam dividunt in plures uxores, propter quod non repræſentant perfectè unionem Chriſti cum Eccleſia.

13. *Quid eſt Bigamia?* R Eſt Matrimonii multiplicatio.

14. *Quotuplex eſt Bigamia?* R. Triplex *Vera, Jnterpretativa, & Similitudinaria.*

Vera habetur tunc, quando quis plura Matrimonia ſucceſſivè contraxit & conſummavit.

Jnterpretativa habetur, quando quis Matrimonium validum contraxit cum una quidem ſed vidua, vel violata ab alio; talis enim ac ſi cum pluribus contraxiſſet.

Similitudinaria habetur, quando quis conſtitutus in *Sacris*, aut in Religione profeſſus contraxit Matrimonium & conſummavit ſivè cum virgine ſivè non; talis enim per votum contraxit ſolemne Matrimonium cum Chriſto, unde Matrimonium contrahens, evadit ſimilis ei, qui carnem ſuam in plures diviſit.

15. *Qui sunt Jrregulares Ex Defectu bonæ Famæ?* R. Jlli, qui exercent aliquam artem, cui ex jure annexa est infamia: tales sunt histriones, circulatores, mimi, comædi filij publicæ Meretricis, damnati ad triremes &c.

16. *Qui sunt Jrregulares Ex Defectu Libertatis?* R. Mancipia, Conjugati, Curiales, Advocati, Procuratores, Thesaurarij, & alij ad reddendam rationem bonorum alicujus obnoxij, *ut* scilicet *is qui ex adverso est, vereatur nihil habens mali dicere de nobis. ad Titum c. 2.*

17. *Qui sunt Jrregulares Ex Defectu Lenitatis?* R. Judices sententiam sangvinis aut mortis ferentes (exceptô summô Pontifice) Notarij, Accusatores, Testes, Advocati: Ministri justitiæ, & omnes, qui ad mortem vel mutilationem activè, efficaciter & proximè per actionem ex natura sua ad illam ordinatam cooperantur, morte aut mutilatione secutâ. Unde Judex ferens mortis aut mutilationis sententiam, si non sequatur effectus talis sententiæ, non est Jrregularis ut docet *Bonac.* d. 7. q. 4. p. 2. & *Felix Potestas* t. 1. p. 5. n. 44. 34.

18. *Qui & quot sunt Effectus Jrregulari-*

ritatis? R. Duo præcipuè. 1. Jmpedire susceptionem Ordinum, ac susceptorum usum 2. Reddere incapacem beneficij, ut patet ex c. 2. *Clerico.*

19. *Quot modis tollitur Jrregularitas?* R. Quatuor modis. 1. Per susceptionem baptismi. 2. Per cessationem defectûs, cessante enim vg: infirmitate oculi Canonici, cessat Jrregularitas. 3. Per Professionem Religiosam cessat Jrregularitas *Ex Defectu Natalium* proveniens. 4. Per dispensationem. *Qui autem possunt dispensare? Vide Felic. Potest. Tom. I. Par. V. à n.* 4475

ARTICULUS II.

De Censuris in communi.

1. *Quid est Censura?* R. Est: *Pæna spiritualis, & Medicinalis pro culpa inflicta, privans usu aliquorum bonorum spiritualium per Ecclesiæ potestatem imposita fideli baptizato, ut à sua contumacia discedat.*

2. *Quot sunt species Censuræ?* R. Tres: *Excommunicatio, Suspensio, & Jnterdictum*

3. *Quotuplex est Censura?* R. Duplex: Una: *A Jure* quæ per Sacros Canones infligitur. Alia *Ab Homine*, quæ à Judice per modum sententiæ fertur.

4: *Jterum quotuplex est Censura?* R. Duplex: Una *Latæ sententiæ*, quæ crimine commissô statim incurritur. Alia verò *Ferendæ sententiæ*, quæ non incurritur, nisi post Judicis sententiam.

5. *Item Quotuplex est Censura?* R. Duplex: *Generalis & Particularis Prima* est illa, quæ fertur contra totam Provinciam, aut sectam ut est vg. contra, *Hæ*reticos. *Altera* verò est illa, quæ imponitur determinatis Personis.

6, *Adhuc quotuplex est Censura?* R. Duplex. Alia *Reservata* cujus absolutionem reservat sibi Superior. Alia: *Non Reservata*, à qua quilibet Sacerdos approbatus absolvere potest.

7. *Tandem quotuplex est Censura?* R. Duplex: *Justa* & *Injusta*. *Justa* est illa, quæ fertur ab habente Authoritatem legitimam, ob justam causam, præviîs tribûs monitionibûs, & servatô Juris ordine. *Injusta* verò dicitur, cui aliqua deficit ex prædictis conditionibus.

8. *Quotuplex est Censura Injusta?* R. Duplex: *Valida* & *Invalida*. *Valida* est illa, quæ fertur ab habente Authoritatem legitimam, ob causam sufficientem, præmissâ

ali-

aliquâ admonitione, quamvis non præcedat trina monitio. *Invalida* verò est illa, quæ aut nullam aut saltim aliquam ex prædictis tribus conditionibus non habet.

9. *Ad hoc ut quis possit ligari Censuris, quæ in eo requiruntur conditiones?* ℟ Sequentes: 1. Ut sit homo & quidem vivus, nam in mortuos Ecclesia jurisdictionem non habet. 2. Ut sit baptizatus, nam qui non est baptizatus, est extra januam Ecclesiæ, & consequenter extra subjectionem. 3. Ut sit rationis & doli capax. 4. Ut sit subditus ejus, qui fert Censuram.

10. *Quæ excusant ab incurrenda Censura?* ℟ Hæc sequentia: 1. Ignorantia invincibilis, tam juris, quàm facti. 2. Impotentia faciendi id, quod sub pæna Censuræ faciendum præcipitur, & hoc intelligendũ est tàm de potentia Physica quàm Morali. 3. Appellatio ad Superiorem antequàm lata sit Censura ab Inferiori. 4. Consensus illius, in cujus favorem Censura lata fuit.

11. *Quis habet potestatem Ordinariam ferendi Censuras?* ℟ Primariè & per se habet Papa respectu omnium Christianorũ. Deinde ArchiEpiscopi, Episcopi, Patriarchæ respectu sibi subditorum. Item Generales,

rales, Provinciales, Superiores Locales, & à fortiori Congregationes & Capitula Religionum habent potestatem ferendi Censuras; non tamen Parochi in suos Parochianos ut docet V. *Scotus* in 4. d. 19. q. 4. [nisi habeant potestatem delegatam) Fæminis autem hæc potestas nullomodò competit, licèt ex speciali dispensatione Papæ competere illis non repugnet, ut ait *Hurtad.* Tr. de Censuris. Similiter Laicis attribui non debet, ut patet ex Can. *in Nona* 7. Unde necessariò requiritur, in Laico prima Tonsura, per quam constituatur in statu Clericali.

12. *Quibus competit potestas delegata ferendi Censuras?* ℟. Omnibus & solis illis quibus delegata fuerit & commissa ab habentibus potestatem Ordinariam, exceptîs tamen Laicîs & Fæminîs.

13. *Quis potest absolvere à Censuris?* ℟. Omnis ille qui potuit & ligare, ita tamen, ut si sit Censura Reservata, nonnisi à reservante absolvi potest, vel ab illo qui habet potestatem delegatam. Ratio est, quia eò ipsò quòd reservatur, non conceditur aliis facultas absolvendi ab illà. Si tamen Censura non sit Reservata, quilibet Sacerdos ha-

bens

bens potestatem absolvendi à peccatis mortalibus, habet etiam facultatem absolvendi à Censuris, ut patet ex c. *Nuper* de Sent. Excom.

14. *Nota* tamen quòd in articulo mortis conceditur omnibus Sacerdotibus etiam Excommunicatis non toleratis absolvere ab omnibus Censuris, ut docet *Trid.* ses. 14. c. 7. sub hoc tamen onere, quòd si taliter absolutus, evadat periculum mortis, coram eò comparere debet, à quo absolvendus erat, simulq; exequi tenebitur id, quòd ab illo sibi assignabitur.

15. Nota *2do.* quòd juste *Trid.* ses. 24. c. 6. Episcopis concessum est, ut possint absolvere suos subditos à Censuris etiam Papæ reservatis, quando delictum est occultum, vel quando ab Excommunicato facilè Papa adiri non potest, vg. propter senectutem, morbum, sexum, aut pauperiem. Ita cōmun. docet. *Hurtad. Navar. Sanch. Avill.* & alii.

16. Nota *3tio.* quòd Fratres Minores ex speciali privilegio Sixti IV. possunt absolvi à suis Superioribus in omnibus Censuris; Tenor Bullæ est talis: *Generalis quoq; & singuli Provinciarum Ministri & Eorum*

Vica-

Vicarii etiam Custodes in Provinciis & Custodiis sibi commissis, prædictis Fratribus constitutis ibidem, nec non Fratribus aliis ejusdem Ordinis interdum ad Eos declinantibus undecunq; , absolutione & dispensatione indigentibus, sive priùs quàm intraverint Ordinem, sive post in casibus excesserint, pro quibus Excommunicationis vel Interdicti, aut Suspensionis, incurrant sententias, à Jure vel à Judice generaliter promulgatas, & hujusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico Interdicto Divina Officia celebrantes, vel suscipientes Ordines sic ligati, notam Irregularitatis incurrerint, absolutionis & dispensationis beneficium valeant impertiri. Et hoc Privilegium confirmavit Benedictus XIII. Annô 1727.

17. Nota 4tò quòd Fratres Minores ex Privilegio Clem. IV. & Sixti IV. non possunt pro libitu Episcopi aliquâ ligari cẽsura. In Bulla enĩ Sixti IV. quæ incipit: *Regimini* § 9. sic habetur: *Districtiùs inhibemus, ne quisquam absq; dictæ Sedis commissione & Authoritate, in personas, domos, & loca dicti Ordinis FF. Minorum utpotè prorsus exempta aliquam Excommunicationis,*

nis, Suspensionis aut Interdicti sententiam specialiter aut generaliter quomodolibet promulgare &c.

18. In tribus tamen casibus dat potestatem *Trid.* Episcopis, ut etiam privilegiatos Religiosos censurare possint: 1. *ses.* 25. Ut per Censuras Episcopi cogant restituere Novitiis tam Masculis quàm Fæminis exeuntibus ante professionem omnia data eis à Consanguineis. 2. *ses. eadem c.* 5. Ut per Censuras Moniales cogant servare clausuram. 3. *ses.* 22. Possunt per Censuras cogere Religiosos, ut observent ea in celebratione Missæ, quæ in Rubricis continentur. In aliis autem casibus dum *Trid.* aliquas exprimit pænas Regularium, non debet intelligi de Censuris, sed de aliis pænis, ut notat *Portel.* n. 32. *Lezana* T. 1. c. 11.

ARTICULUS III.

De Excommunicatione.

1. *Quid est Excommunicatio?* ℞ Est: *Censura Ecclesiastica privans hominem Christianum bonis fidelium communibus.*

Quæ & quot sunt Bona fidelium communia? ℞. Tria: 1. Sacramentorum participatio,

patio. 2. Orationes & Suffragia Ecclesiæ. 3. Exterior conversatio, quæ in mutuo colloquio, & convictu fidelium consistit.

3. *Quotuplex est Excommunicatio?* ℟. Duplex: *Major* & *Minor*. *Major* est illa, per quàm homo privatur bonîs Ecclesiæ communibûs tam activè quàm passivè. *Minor* verò est illa, per quàm homo privatur solùm participatione passivâ Sacramentorũ.

4. *Quid est Participatio passivâ Sacramentorum?* ℟. Est: Receptio illorum. *Activâ* verò est Administratio eorum.

5. *Quotuplex est Excommunicatus Excommunicatione Majori?* ℟. Duplex: Alius: *Vitandus* seu *Non Toleratus*, Et alius: *Non Vitandus* seu *Toleratus*. *Vitandus* est ille, cum quo fidelibus communicare prohibetur, vitari enim debet tanquam membrum putridum ab Ecclesia DEI separatum. Talis est ille, qui nominatim & publicè est excommunicatus. Vel ille, qui est Notorius percussor Clerici. *Non Vitandus* verò est ille, cum quo licitum est fidelibus communicare tam in Divinis, quam in Civilibus.

6. *Per quid differt Excommunicatio Major à Minori?* ℟. Per hoc: quia *Minor* incur-

ritur propter unicam cauſam, ſcilicet dum quis communicat cum excommunicato Excommunicatione *Majori*, quæ cauſa poteſt eſſe veniale peccatum. Excommunicatio verò *Major* incurritur propter multas cauſas, quæ debent eſſe peccata mortalia.

7. *Quó differt Excommunicatus Vitandus à non Vitando?* ℟. Quia *Vitandus* privatur omnibûs omninò bonîs fidelium communibûs. *Non Vitandus* verò non privatur exteriori converſatione; Hæretici enim ſunt Majori Excommunicatione ligati, & tamen quia ſunt *non Vitandi* poſſunt habere commercia cum Catholicis.

8. *In quibus caſibus prohibitum eſt communicare cum Vitandis?* ℟. In caſibus hôc verſu expreſsîs.

Os, Orare, Vale, Communio, Menſa negatur.

Per particulam *Os*, intelligitur: Allocutio, aut alia ſigna amicitiæ, ut amplexus, oſcula &c. Per *Orare*, ſignificatur Oratio, quæ prohibetur fieri cum excommunicatis. Per *Vale*, denotatur honorifica ſalutatio. Per ly: *Communio*, ſignificatur omnis ſocietas cum excommunicatis in habitatione, exercitio, vel contractu. Per *Menſam*, intelligitur communicatio cibi & potûs in eadem menſa.

9. *Po-*

9. *Poteſtne quis aliquando licite communicare cum Excommunicato non Tolerato ſeu Vitando?* ℟. Poteſt in quinq; caſibus hoc verſu expreſsîs:

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Neceſſe.

Per *Utile*, denotatur utilitas ſpiritualis ipſius excommunicati, ut per correctionem à vita ſua mala recedat. Poteſt etiam intelligi utilitas illius, qui communicat cum excommunicato in his caſibûs. 1. Petendo ab eò conſilium, ſi æquè bonum ab alio non ſperat. 2. Utendo Medicô ſi ſit magis idoneus quàm alij. 3. Petendo ab illo eleemoſynam, ſi ab alijs ſibi ſubveniri non poteſt.

10. *Lex:* ſignificat obligationem reddendi non Tolerato quod ejus eſt, aut petendi ab illo quod ſuum eſt.

11. *Humile:* ſignificat ſubjectionem. Unde Filij cum Parentibus, & Servi cum Dominis non Toleratis communicare poſſunt. Excipiuntur tamen illi, qui aliquô modô præſtabant auxilium Domino in eò caſu, pro quo eſt excommunicatus, quia & illi eadem pænâ arceri debent.

12. *Res ignorata:* ſignificat ignorantiam invincibilem tam Juris, quàm facti.

13. *Per neceſſe* denotatur notabilis neceſſitas

ſitas tam ſpiritualis quàm temporalis, ſivè ipſius excommunicati, ſivè etiam communicantis.

14. *Quomodo peccant, qui extra hos caſus communicant cum non Toleratis?* ℟. Si communicant in Divinis, peccant mortaliter, ſi verò in Civilibus venialiter; ſemper autem incurrunt Excommunicationem Minorem *ut in n.* 6. dictum eſt.

15. *Quot ſunt Effectus Excommunicationis Majoris?* ℟. Sunt ſex: 1. Excommunicati privantur ſepulturâ Eccleſiaſticâ. 2. Sunt inhabiles ad Dignitates Eccleſiæ. 3. Privantur ſuffragiîs, Indulgentiîs, ac Sacramentîs. 4. Privantur omni juriſdictione Eccleſiaſticâ. 5. Non poſſunt ſtare in judicio tam Civili, quàm Eccleſiaſtico. 6. Qui per Annum in Excommunicatione Majori permanſerunt, juxta *Trid.* ſes. 25. c. 3. puniendi ſunt ut Hæretici; tales enim notabiliter contemnunt poteſtatem Eccleſiæ.

16. *Quotuplex eſt Excommunicatio Major?* Duplex Alia: *A Jure* & alia *Ab homine.* Alia *Generalis* & alia *Particularis* alia *Latæ* alia *Ferendæ ſententiæ &c.* ut in præc. Art. dictum eſt de Cenſura in communi, quod proportionatè applicandum eſt

ad

ad Excommunicationem; Quidquid enim dicitur de Universali, dicitur etiam de inferiori contento sub illo. Censura autem est quid commune Excommunicationi, Suspensioni, & Interdicto.

17. *Quô differt Excommunicatio A Jure ab Excommunicatione Ab homine lata?* ℟. Quia prima perpetuò durat, quamdiu nempe durant Canones, & non potest tolli, nisi ab ipso Papa, qui solus est Juris Conditor, & supra Jus. Excommunicatio verò *Ab homine*, tamdiu solùm durat, quamdiu ille vivit, vel in Officio manet, qui ipsam tulit.

18. De Absolutione ab Excommunicatione idem dic, quod dictum est de Censuris in communi *præc. Art. à num.* 13.

19. Nota autem: quòd Fratres Minores ex speciali privilegio Sixti IV. in Bulla quæ *Mare Magnum* nuncupatur possunt licitè in terris Excommunicatorum commorari, & ab illis necessaria recipere; tenor Bullæ est: *In terris Excommunicatorum liberè commorari, & ab eis tunc etiam quando per ipsos transire contigerit, necessaria vitæ deposcere, & recipere valeatis.* Quod privilegium debet intelligi de Excommunicatis non Toleratis, quia aliàs esset nullum.

20.

20. Nota 2dò. quòd in locis, in quibus Fratres Minores resident, si contingat Excommunicationem vel Interdictum promulgari, famuli eorum minimè habentur obnoxii, ex privilegio ejusdem Sixti IV. in Bulla cit. cujus tenor est: *Si quando in terras in quibus residetis, vel eorum personas Excommunicationis, seu Interdicti sententias contigerit promulgari, pueri vestris servitiis deputati, negotiorumq; vestrorum Procuratores & Operarii, qui in vestris locis eorum operibus personaliter continuò extiterint, hujusmodi sententiâ obnoxii minimè habeantur.*

ARTICULUS IV.

De Suspensione.

1. *Quid est Suspensio?* ℞. Juxta V. *Scotum* in 4. d. 25. q. 1. est: *Censura Ecclesiastica, quâ prohibetur vel arcetur Minister Ecclesiæ, ab aliquo actu Ecclesiastico aliàs sibi conveniente.* Ex qua definitione apertè constat, quòd subjectum Suspensionis est solus Clericus, quia ipse solus est capax actûs Ecclesiastici.

2. *Quotuplex est Suspensio?* ℞. Triplex:

1. *Ab*

1. *Ab Officio tantùm*, quâ privatur Clericus usu Ordinis, & potestatis spiritualis. 2. *A beneficio tantùm*, quâ Clericus privatur administratione & fructibûs sui beneficii. 3. *Ab utroq; simul*, quâ Clericus privatur & potestate spirituali, & fructibûs temporalibûs.

3. *Item Quotuplex est Suspensio?* ℟. Duplex: Alia: *Totalis*, quæ privat omni actu Ordinis, & perceptione omnium fructuum. Alia: *Partialis*, quæ privat aliquô tantùm actu Ordinis ut est Suspensio à Confessionibus.

4. *Adhuc Quotuplex est Suspensio?* ℟. Duplex: *Determinata* & *Indeterminata*. *Prima* est illa, quæ ad certum tempus privat Clericum officiô aut beneficiô, quô elapsô statim cessat absq; ulla absolutione. *Altera* est illa, quæ privat sine temporis præscriptione, ac proinde durat, donec per absolutionem tollatur.

5. Adde: aliam esse: *A Jure*, aliam: *Ab Homine*, aliam: *Latæ sententiæ* & aliam: *Ferendæ* ut dictum est de Censuris in communi *Art.* 2. *pag.* 178.

6. *Quòt modîs contrahitur Suspensio?* ℟. Quinq; modîs. 1. In ordinatione indebita. 2. Propter exercitium illicitum Ordinis.

nis. 3, Propter defectus aliquos commissos circa munera ad Clerum spectantia. 4. Propter peccata à Clericis commissa. 5. Regulares Clerici incurrunt Suspensionem à Jure latam propter septem casus, de quibus inferiùs *num.* 11.

7. *Quot sunt Suspensiones quæ contrahuntur à Clericis in ipsa ordinatione peccantibus?* ℟. Sunt duodecim: 1. Suspenduntur recipientes Ordines ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatui. 2. Recipientes ab alieno sine licentia proprii. 3. Recipientes à proprio Episcopo in aliena Diæcesi sinè licentia Ordinarij. 4. Recipientes ab Excommunicato vel Suspenso. 5. Recipientes Ordines ante legitimam ætatem. 6. Extra tempora sine dispensatione. 7. Non servatîs Interstitiîs. 8. Ordinati fictô titulô. 9. Promoti per saltum. 10. Ordinati post Matrimonium ratum. 11. Si sint excommunicati vel suspensi aut interdicti. 12. Si quis vacante Episcopatu non habens beneficium saltim infra annum cum litteris dimissoriis à Capitulo receptis ordinetur in sacris.

8. *Quòt sunt Suspensiones quæ incurruntur propter exercitium Ordinis?* ℟. Sunt quinq;: 1. Suspenduntur, qui utuntur Or-

Ordine aliquô in loco interdicto. 2. Celebrantes coram excommunicato vel interdicto, vel eundem admittentes ad Divina, aut ad ſepulturam Eccleſiaſticam. 3. Admittentes ad ſepulturam Uſurarios publicos. 4. Parochi jungentes Sponſos alterius Parochiæ ſine licentia Parochi illorum. 5. Parochi, qui contemnunt prohibere Matrimonia clandeſtina.

9. *Quot ſunt Suſpenſiones, quæ incurruntur propter defectus circa munera ad Clerum ſpectantia?* ℟. Sunt quinq;: 1. Suſpenduntur abutentes veſtibûs à jure ſtatutîs & præſcriptîs. 2. Gravantes Eccleſiam ſibi commiſſam debitîs alienîs. 3. Rapientes bona Prælati defuncti non habitô jure. 4. Eligentes indignos ad curam animarum. 5. Non ſervantes Conſtitutionem Innoc. IV. in Viſitatione Eccleſiarum.

10. *Quot ſunt Suſpenſiones, quæ incurruntur à Clericis propter peccata ab illis commiſſa?* ℟. Sex: 1. Suſpenduntur Clerici concubinarii publici. Hæc tamen ſuſpenſio non incurritur, niſi poſt Judicis ſententiam, ùt notat *Hurtad. Bonac.* &c. licèt oppoſitum teneat *Toletus* lib. 1. c. 47. 2. Recipientes Ordines Simoniacè. 3. Reci-

Recipientes Ordines à Simoniaco, licèt non Simoniacè, nisi ipsos excuset ignorantia. 4. Spontè jurantes de tenendo Schismate. 5. Provocantes ad duellum vel acceptantes ab alio oblatum, aut pugnantes. 6. Raptores vel præstantes auxilium aut consilium raptui, ipsô factô incurrunt suspensionē.

11. *Qui & quot sunt casus propter quos Regulares Clerici incurrunt suspensionem à jure latam?* ℟. Hi septem: 1. In Apostasia recipientes Sacros Ordines. 2. Non professi recipientes Ordines. 3. Non utentes habitu Religionis suæ. 4. Admittentes ad professionem Novitios ante annum probationis. 5. Usurpantes decimas sibi non convenientes. 6. Introducentes fæminas intra claustra Monasterii. 7. Qui non monent pænitentes de solvendis decimis.

12. *Quomodo peccant illi qui violant Suspensionem?* ℟. Peccant mortaliter, nisi levitas materiæ excuset. Insuper violantes suspensionem per exercitium solemne Ordinis Sacri, præter novam suspensionem, incurrunt Irregularitatem.

13. *Quis possit suspendere?* ℟ Ille qui potest ferre Censuras; nam suspensio est una ex Censuris.

14. *Nota* autem quòd Episcopi non possunt pro libitu suo suspendere Confessarios Regulares liberè approbatos, aut omnibus adimere facultatem audiendi confessiones inconsultâ Sede Apostolicâ, prout declaravit S. Congreg. Card. 20. *Novembr.* 1615. Quod etiam Clemens X. confirmavit 1670. in Constit. *Superna* cujus tenor est talis: *Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventûs Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo inconsultâ Sede Apostolicâ nullatenus posse.*

ARTICULUS V.
De Interdicto.

1. *Quid est Interdictum?* ℞ Est: *Censura Ecclesiastica prohibens usum Divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, quà talis est.* Dicitur: *quà talis*, ad distinctionem; quia etiam Excommunicatio privat sepulturâ inquantùm est communicatio cum fidelibus. Et Suspensio, inquantùm sepultura est exercitium Ecclesiasticæ potestatis.

2. *Quô differt Interdictum ab Excommunicatione & Suspensione?* ℞ Per hoc, quia Ex-

Excommunicatio ultra plura, quibûs privat, privat etiam humanâ conversatione, non sic interdictum; unde interdicti non sunt vitandi. Tum quia Excommunicatio fertur solùm contra personas nocentes; Interdictum autem etiam contra innocentes, quatenus in communitate interdicta morantur. Differt etiam à Suspensione, quia hæc solos afficit Clericos. Interdictum verò etiam Laicos.

3. *Quotuplex est Interdictum?* ℟. Triplex: *Locale*, *Personale*, & *Mixtum*. *Locale* est, quod immediatè locum afficit. *Personale*, quod directè fertur contra Personas. *Mixtum*, quod afficit locum & personas simul.

4. Interdictum tàm Locale quàm Personale Aliud est *Generale*, & Aliud *Particulare* ut dictum est de Censuris in Communi.

5. *Quando interdicitur Clerus, an sit etiam interdicta plebs communis?* ℟. Negativè. Ratio est, quia Clerus & plebs communis sunt distinctæ communitates. Similiter interdictô Clerô, probabiliter nō sunt interdicti Religiosi, nisi specialis eorum fiat mentio; nam licèt in favorabilibus nomine Clerici, intelligantur etiam Episcopi & Re-

gulares, non tamen in odiosis, ut docet *P. Kloz* l. 3. tit. 1. Quando autem in aliqua Communitate innocentes sunt interdicti simul cum nocentibus, si ab illo loco discedant, statim sunt liberi ab interdicto; non sic autem nocentes.

6. *Ad hoc ut Interdictum justè feratur quale delictum requiritur?* ℞. Mortale, & maximè dum est: Interdictum Locale, aut Personale Generale, cum enim per hoc etiam innocentes puniuntur, requiritur gravissima culpa cum contumacia commissa ab omnibus, vel etiam à Capite, aut præcipuis membris.

7. *Quæ sunt causæ, ob quas à Jure incurritur Interdictum?* ℞. Interdictum *Locale Generale* incurritur præcipuè: 1. Propter culpam Domini temporalis, ut dum vg. Rex peccat, totum Regnum aliquando interdicitur. 2. Propter culpam Ecclesiasticarum Personarum. 3. Propter culpam plebis.

8. Interdictum *Locale Particulare* incurritur. 1. Dum per vim in aliquo loco detinetur Episcopus. 2. Interdicitur locus, in quem Clerici sæculares inducunt aliquem ad jurandum ut in eo sepeliatur. 3. Interdici-

dicitur Ecclesia, in qua scienter Hæreticus sepelitur.

9. Interdictum *Personale Generale* ex Jure Canonico incurritur propter sequentes casus. 1. Interdicuntur Capitula, quæ non observant Constitutionem Joan. XXII. circa fructus vacantium beneficiorum. 2. Communitates exigentes tributa à Clericis. 3. Occupantes bona Ecclesiastica.

10. Interdictum *Personale Particulare* incurritur propter sequentes casus. 1. Interdicitur Judex ab ingressu Ecclesiæ per mensem, qui tulit excommunicationem non præmissâ monitione. 2. Qui Clericos Romam proficientes in suis negotiis, privant beneficiis, conferendo ipsa aliis. 3. Recipientes dignitatem spiritualem de manu Laici. 4. Interdicuntur Clerici ab ingressu Ecclesiæ jacentes in crimine fornicationis. 5. Violantes Interdictum Locale à Jure vel ab Homine latum. 6. Alienantes Ecclesiæ bona. 7. Usurpantes sibi ex redditibus Ecclesiæ vacantis.

11. *Quot sunt Effectus Interdicti?* ℟. Tres. *1mus* est: Prohibitio activæ & passivæ communicationis aliquorum Sacramentorum. Dixi: *aliquorum*, nam interdicti

possunt baptizari, confirmari, Pænitentiam facere, imò in articulo mortis & Eucharistiam sumere, non tamen ordinari, aut Extremam unctionem suscipere. *2dus:* Prohibitio Divinorum Officiorum, nempe: Sacrificii Missæ, Horarum Canonicarum, ne publicè cantentur. Item prohibentur Benedictiones solemnes, & alia Officia à Ministris Ecclesiæ fieri solita. *3tius:* Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ.

12. Possunt tamen tempore Interdicti fideles convenire ad Ecclesiam orationis gratiâ, non tamen ad audiendam Missam. Insuper possunt pulsari campanæ ad hoc, ut conveniant fideles ad concionem, per quã possent induci ad pænitentiam. Ita *Canones cum Navar. Medina, Mastr.* &c.

13. *Quomodo peccant, qui violant Interdictum?* ℞. Si sint Laici peccant mortaliter violando interdictum personale, si autem violent interdictum locale peccare venialiter ait *Busemb.* dummodo ipsi personaliter non sint interdicti. Clerici verò ultra peccatum incurrunt irregularitatem, maximè si illud violent per actum Ordinis.

SE-

SECTIO III.

De Ordinibus in particulari.

ARTICULUS I.

De Clericis & prima Tonſura.

1. *Unde derivatur Nomen Clerici?* ℟. A voce græca *Kliros* quæ latinè ſignificat ſortem, Clerici enim ſunt de ſorte Domini, & diſtincti à plebe communi ſeu à Laicis. *Laos* enim, à quo derivatur Laicus eſt Nomen græcum, idem ſignificans ac populus.

2. *Quotupliciter ſumitur Nomen Clerici?* ℟. Dupliciter: *Largè* & *Strictè*. *Largè* ſumitur pro quibuscunq; Perſonis, quæ in ſortem DEI ſunt vocatæ, & ad ſervitium Ejus ſpecialiter deputatæ, ſive per ſuſceptionem Ordinum, & primæ Tonſuræ, ſive etiam per Profeſſionem Religioſam, & ſic Nomine Clerici intelliguntur Religioſi, Moniales, Eremitæ, qui de manu Epiſcopi ſuſceperunt habitum. Imò etiam ex conceſſione *Innocentii*, Tertiarii de manu Superioris recipientes habitum. *Strictè* verò ſolùm illi dicuntur Clerici, qui ſunt deputati ad ſervitium & cultum Divinum per ſuſceptionem alicujus Ordinis aut primæ Tonſuræ.

3. In materia favorabili veniunt etiam Clerici primô modô sumpti, in materia autem odiosa, solùm intelliguntur Clerici Tonsurati & Ordinati, ut docet *P. Kloz.* l. 3. t. 1.

4. *Quid est prima Tonsura?* ℟. Est: *Signum distinctivum Ministrorum Ecclesiæ à plebe communi.*

5. *Prima Tonsura estnè Ordo?* ℟. Non est Ordo, sed dispositio ad Ordines. Ratio est ex V. *Scoto.* Quia per Tonsuram nulla datur potestas tonsurato, ut patet ex verbis ab Episcopo prolatis: *Dominus pars hæreditatis* &c. In Ordinatione verò semper ordinato traditur potestas aliqua Ordini suscepto competens.

6. *Quæ est Materia & quæ Forma primæ Tonsuræ?* ℟. Prima Tonsura cum non sit Ordo, non constat materiâ & formâ propriè dictâ, tamen locò materiæ potest esse abscissio capillorum, & locò formæ verba ab Episcopo & ab ordinando simul prolata: *Dominus pars hæreditatis meæ & pars mea DEUS in æternum.*

7. *Quot sunt Effectus primæ Tonsuræ?* ℟. Duo, nempe Privilegium Fori ac Canonis, & Beneficium Ecclesiasticum.

8.

8. *Quot sunt obligationes Tonsurati?* ℟. Quinq; : 1. Ut comam non nutriat. 2. Ut coronam deferat in modum circuli. 3. Ut habitum Clericalem portet. 4. Ut habeat vestes talares & non curtas. 5. Ut hujusmodi vestes non sint diversi coloris sed unius & quidem nigri.

9. *Potestnè Tonsuratus uti Privilegiis Fori & Canonis non portando habitum & tonsuram?* ℟. Negativè: quia gestatio habitûs & tonsuræ est causa privilegii; adeoq; hîs abjectîs Clericus pro sæculari reputabitur, ut statutum est à *Trid.* ses. 23. c. 6.

10. Non solùm autem per depositionem habitûs & tonsuræ, sed etiam per Matrimonium contractum Clerici initiati primâ tonsurâ, vel quatuor Minoribûs amittunt privilegium Fori, ut clarè habetur c. 56. *Dilecti.* Possunt tamen gaudere etiam post contractum Matrimonium privilegiô Canonis & Fori in causis criminalibus, si has tres observent conditiones. 1. Ut contrahant Matrimonium, cum una & quidem Virgine [quia aliàs essent Bigami] 2. Ut deferant Tonsuram & vestes Clericales 3. Ut sint ab Episcopo deputati ad servitium alicujus Ecclesiæ. Ita *Trid.* ses. 23. c. 6.

11. *Nota* tamen quòd tales Clerici in bonis ſuis non eximuntur ab exactionibus, gabellis, & aliis tributis ut expreſsè innuit *Trid. loc. cit.* ſed illas præſtare tenentur ſicut alij uxorati.

12. *Poteſtnè Clericus aliquando non portare habitum & tonſuram?* ℟. Cum diſtinctione. Si Clericus ſit conſtitutus in Sacris Ordinibus, vel in Minoribus tantùm, habeat tamen beneficium, ſub gravibus pœnis obligatur ad deferendum habitum & tonſuram. Si verò non ſit in ſacris conſtitutus, neq; habeat beneficium, non obligatur, quia *Trid.* in illis tantùm requirit geſtationem habitûs, qui beneficiũ habent.

13. *Quid eſt FORUM?* ℟. Eſt: Locus in quo tractantur cauſæ in ordine ad gubernationem Reipublicæ Eccleſiaſticæ aut ſæcularis.

14. *Quotuplex eſt Forum?* R. Triplex: *Eccleſiaſticum, Sæculare, & Mixtum.* Eccleſiaſticum eſt, ad quod Clerici pertinent & Laici in cauſis ſpiritualibus. *Sæculare* eſt, cui ſoli Laici ſubjiciuntur. *Mixtum* eſt, in quo judicantur cauſæ, quæ partim pertinent ad Forum Eccleſiaſticum, partim ad ſæculare ut vg. fornicationes, blasphemiæ, &c.

15.

15. Ad hoc igitur ut Forum sit competens ad dijudicandam aliquam causam, requiritur: ut reus sit illius jurisdictioni subjectus non solùm quò ad Personam, sed etiam quò ad causam; fieri enim potest quòd Persona sit subdita Judici, non tamen ejus causa, ùt patet de Laicis, qui subsunt judicio sæculari quò ad Personam, in causis tamen Matrimonialibus ad judicium Ecclesiasticum venire debent. In causis verò quæ pertinent ad Forum Mixtum, ille est Judex competens, coram quo est res præventa.

16. *Quod est Forum competens in causis criminalibus Clericorum?* ℟. Ecclesiasticum; Clericus enim de omni crimine suo nonnisi coram Judice Ecclesiastico conveniri potest. Quod privilegium antiquitùs in observatione fuit, nam dum accusatio Clericorum ad Constantinum Imperatorem deferebatur, dixit: *Vos Dij estis, à DEO vero constituti, ite & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, ut judicemus deos.*

17. Potest tamen Clericus à Judice sæculari capi, si comittat aliquod crimen ex quo malum Reipublicæ aut Communitati immineret,

neret, & Judex Ecclesiasticus hìc & nunc haberi non potest. Ratio est: quia si in hoc casu Judici sæculari non concederetur talis facultas, daretur sceleratis Clericis major libertas impunè peccandi.

18. *Quæ honestas à Clericis servanda est?* R. Duplicem SS. Canones à Clericis postulant honestatem: *Interiorem*, quæ consistit in puritate, innocentia, & sinceritate animæ. Et *Exteriorem*, quæ consistit in actionibus & moribus conformibus legi Divinæ, & SS. Canonibus; de qua honestate *Trid.* ses. 2. & 14. clarè loquitur.

ARTICULUS II.

De Ordinibus Minoribus.

1. *Quot sunt Ordines Minores?* R. Quatuor: scilicet: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus.

2. Quare dicuntur Minores? Dictum est suprà pag. 159. n. 4.

OSTIARIATUS.

3. *Quid est Ostiariatus?* ℟. Est: *Potestas, per quam ordinatus in Ostiarium potest recipere dignos, & excludere indignos ab Ecclesia DEI, & eam custodire.*

4. *Quotuplex est Materia Ostiariatûs?* ℟ Duplex: Una: *Remota*, quæ sunt claves Ecclesiæ. Et Alia: *Proxima*, quæ est traditio & acceptio talium clavium.

5. *Quales claves adhiberi debent pro Materia Ostiariatûs?* ℟ Probabiliùs claves Ecclesiæ. Ratio est, quia ordinatus accipit potestatem custodire illas res, quæ clauduntur clavibûs ipsi porrectìs, ut patet ex forma. Unde si illi porrigerentur claves à thesauro vg. Episcopi, daretur ipsi potiùs potestas custodiendi thesaurum Ordinantis, quàm Ecclesiæ. Tum quia pro materia Lectoratûs non sufficit qualiscunq; liber, sed debet esse Epistolarum: ergo etiam à pari.

6. *Quæ est Forma Ostiariatûs?* R. Sunt hæc verba ab Episcopo prolata: *Sic age quasi rationem DEO redditurus pro ijs rebus quæ hîs clavibûs recluduntur.*

7. *Quod est Officium Ostiarii?* ℟ Est: 1. Aperire, & claudere januas Ecclesiæ. 2. Custodire apparamenta ejus. 3. Pulsare campanam. 4. Recipere dignos & excludere indignos. Per indignos autem intelliguntur Infideles, Hæretici, Excommunicati, Interdicti, & Catechumeni, post dictum Evangelium in Missa, licèt nunc Laici

hæc

hæc obeunt munia, hoc tamen non faciunt ex officio.

8. *A quo institutus fuit Ostiariatus & quando?* ℟ A Christo Domino *Mat.* 21. quando ementes & vendentes ejecit de tẽplo.

LECTORATUS.

9. *Quid est Lectoratus?* ℟ Est: *Potestas, per quam ordinatus in Lectorem, potest legere lectiones & prophetias.*

10. *Quotuplex est Materia Lectoratûs?* ℟ Duplex: Una *Remota*, quæ est liber S. lectiones continens. Et Alia *Proxima*, quæ est ejusdem libri traditio & acceptio.

11. *Quæ est Forma Lectoratûs?* R. Sunt hæc verba: *Accipe potestatem, & esto Verbi DEI relator.*

12. *Quod est Officium Lectoris?* R. Est: 1. Annuntiare populo Verbum DEI. 2. Docere Catechumenos rudimenta fidei. 3. Legere Epistolas & Prophetias.

13. *A quo fuit institutus Lectoratus & quando?* ℟ A Christo D. quando in medio Seniorum librum aperuit Isaiæ, & completâ lectione clausit & dedit Ministro.

EXORCISTATUS.

14. *Quid est Exorcistatus?* ℟ Est: *Potestas, per quam ordinatus in Exorcistam,*

potest

potest expellere diabolum, ne impediat aliquem à sumptione Eucharistiæ.

15. *Quotuplex est Materia Exorcistatûs?* R. Duplex: Una *Remota*, quæ est: liber Exorcismorum. Et Alia *Proxima*, quæ est ejusdem libri traditio & acceptio.

16. *Quæ est Forma Exorcistatûs?* R. Sunt hæc verba: *Accipe & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super Energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos.*

17. *Quot sunt Officia Exorcistæ?* R. Duo: 1. Imponere manus super Energumenos legendo super illos Exorcismum. 2. Imponere manus super Catechumenos ante baptismum ad fores Ecclesiæ.

18. *A quo fuit Exorcistatus institutus & quando?* R. A Christo D. quando tetigit aures surdi dicendo: *Epheta*, quod est: adaperire.

ACOLYTHATUS.

19. *Quid est Acolythatus?* R. Est: *Potestas per quam ordinatus in Acolythum potest accendere lumina, & portare urceolos cum vino & aqua.*

20. *Quotuplex est Materia Acolythatûs?* R. Duplex: Una *Remota*, quæ est: Cande-

labrum

labrum cum Cereo extincto; & Urceoli vacui. Et Alia *Proxima*, quæ est horum traditio & acceptio.

21. *Quotuplex est Forma Acolythatûs?* ℟. Duplex: Una correspondens primæ materiæ, scilicet Candelabro, & sunt hæc verba: *Accipe Ceroferarium cum Cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatum in Nomine Domini.* Altera forma correspondens urceolis est hæc: *Accipe Urceolos ad suggerendum vinum & aquam, in Eucharistiam Sangvinis Christi, in Nomine Domini.*

22. *Quotuplex est Officium Acolythi?* ℟. Duplex: 1. Præparare luminaria ad Sacrificium. 2. Portare Cereum accensum ante Sacerdotem, & porrigere Subdiacono urceolos in Missa.

23. *A quo institutus fuit Acolythatus?* ℟. A Christo Domino *Joan:* 8. quando dixit: *Ego sum lux Mundi,* &c.

ARTICULUS III.

De Ordinibus Majoribus.

1. *Quot sunt Ordines Majores?* ℟ Tres: Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.

2. Quare dicuntur Majores & Sacri: Dictum est supra pag. 159. n. 4.

3. *Quæ sunt Requisita ad hos Ordines?* ℟. Præter enumerata superiùs pag. 163. requiritur Titulus sustentationis; cum enim per hos Ordines perpetuò mancipatur DEO ordinatus, & à sæcularibus curis separatur, debet habere modum honestè vivendi.

4. *Quotuplex est Titulus sustentationis?* R. Triplex: juxta *Trid.* ses. 21. c. 2. nempe: *Beneficii*, *Patrimonii*, & *Paupertatis*.

5. Titulus *Beneficii* est: Beneficium Parochiale, aut Canonicatus, vel Capellania fundata Authoritate Episcopi in perpetuū.

6. Titulus *Patrimonii* est: Bonum fortunæ proprium, sive arte, sive hæreditate, sive etiam donatione acquisitum, sufficiens ad honestè vitam ducendam.

7. Titulus *Paupertatis* est: Ipsa vita Religiosa professione jurata; Religiosus enim professus, ad Sacros Ordines optimè promoveri potest, cùm habeat honestam sustentationem vitæ, nam ipsum Religio perpetuò alere tenetur.

Excipiuntur PP. Societatis JESU quamvis enim non statim peractô probationis bienniô emittant solemnem professionem, sed

solùm simplicem, hujusmodi tamen professio sufficit pro titulo ad Sacros Ordines requisito ex speciali privilegio Greg. XIII, ùt habet *Rodriq.* t. 3. q. 23.

8. *Quam incurrit pœnam initiatus Sacris Ordinibûs absq; Titulo?* ℞ Incurrit suspensionem ex *Trid.* ses. 23. Quòd si taliter susceptum exercebit Ordinem, in Irregularitatem incidit, quia violans Censuras irregularis efficitur, ùt communiter docetur.

9. *Quot & quas obligationes, Majores Ordines imponunt ordinatis?* ℞ Duas: Castitatē servandi, & Horas Canonicas recitandi.

§. I.
De VOTO.

1. *Quid est Votum?* R. Est: *Promissio deliberata, voluntaria, & possibilis, facta DEO de meliori bono.*

2. *Quô differt Votum à Proposito?* ℞. Per hoc. 1mò: Quia Votum obligat voventem sub peccato, non sic autem Propositū. 2dò. Quia Votum semper est de meliori bono; Propositum autem potest esse aliquando & de minori bono, ut dum quis proponit non servare virginitatem sed nubere.

3. *Quotuplex est Votum?* R. Duplex: Aliud *Absolutum*, quod fit absq; ulla conditio-

ditione. Aliud *Conditionatum*, quod fit cum conditione vg. voveo caſtitatẽ, ſi ſanus ero.

Votum Conditionatum. Aliud eſt. *Pænale* quod fit in pænam delicti. Aliud *Purè Conditionatum* quod non fit in pænam peccati ſed alia ex cauſa.

4. Item Aliud eſt *Solemne*, & Aliud *Simplex*. Primum eſt, quod ùt tale acceptatur ab Eccleſia, & tale eſt duplex ſolùm, nempe: Votum Caſtitatis Majoribus Ordinibus annexum, & Votum Profeſſionis Religioſæ. Simplex autem Votum eſt omne aliud, quod talem ſolemnitatẽ nõ habet.

5. Votum Solemne. Aliud eſt *Expreſsũ* quod fit expreſsìs verbìs externìs vel internìs. Aliud *Tacitum* quod eò ipsò habetur, quando fit aliquid cui votum eſt annexum. Tale votum caſtitatis eſt in ſuſceptione SS. Ordinum.

6. Item Votum eſt Triplex: Reale, Perſonale, & Mixtum.

7. *Reale* eſt: quô res aliqua DEO promittitur. vg. elèémosyna.

8. *Perſonale* eſt: quô DEO promittitur aliqua actio vel ejus omiſſio. ut vg. peregrinatio, vel omiſſio ludi.

9. *Mixtum* eſt: quô DEO promittitur

res

res aliqua simul cum actione voventis. vg. Votum peregrinandi cum largitione eleëmosynæ.

10. Item Aliud est *Reservatum* & aliud *Non Reservatum.* Reservatum est illud quod à solo Papa dispensari potest, & talia sunt quinq; vota, nempe: Votum castitatis perpetuæ; Religionis approbatæ, Peregrinationis ad limina Apostolorum; Compostellam ad S. Jacobum; & in Terrā Sanctam. Non Reservatum, est omne aliud Votum.

11. *Quæ requiruntur ad valorem Voti?* ℟ Ex parte Materiæ requiruntur hæc tria: 1. Ut sit opus bonum & quidem possibile. 2. Ut illud opus sit melius quàm ejus oppositum. 3. Ut fiat cum bono fine.

Ex parte Voventis requiruntur hæc quatuor: 1. Scientia obligationis sub peccato adimplendi votum: 2. Intentio obligandi se ad illud implendum. 3. Deliberatio ita perfecta sicuti ad peccatum mortale requiritur. 4. Libertas in vovendo.

12, *Quomodo obligat Votum?* ℟ Semper sub peccato juxta illud *Deuter.* 23. *Cùm votum voves DEO tuo non tardabis reddere, quòd si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

13. *Unde desumenda est gravitas obligationis Voti?* ℟ Ex Intentione ipsius voventis & non ultrà, quia votum est veluti privata lex, quam sibi vovens posuit, lex autem non obligat ultra intentionem legislatoris.

Ex quo patet, quòd obligatio voti potest esse aliquando levis, licèt materia sit gravis, si nimirum vovens leviter se obligaret.

14. *Quotupliciter tolli potest obligatio Voti?* ℟ Dupliciter: 1. Ratione materiæ si hæc antea honesta, fiat turpis, aut impeditiva majoris boni, prohibita, vel impossibilis, vel etiam deest conditio à qua pendebat. 2. Ratione Authoritatis intervenientis, quod tripliciter evenire potest: *Irritatione, Commutatione*, & *Dispensatione.*

15. *Quid est Irritatio Voti?* R. Est sublatio obligationis facta nomine propriô per potestatem dominativam, in personam voventem, aut in rem de qua fit Votum.

16. *Quotuplex est Irritatio Voti?* ℟. Duplex: Una: *Directa*, per quam ita aufertur obligatio voti, ut nunquam postea reviviscat. Alia: *Indirecta*, per quam aufertur quidem obligatio voti, postea tamen reviviscere potest, quando scilicet talis obligatio desinet alteri præjudicare.

17.

17. *Qui directè possunt irritare Votum & qui indirectè?* ℟. Jlli directè, quibus ita est subjecta tam voluntas voventis, quàm materia voti, ut in illam jus habeant. Indirectè verò illi possunt irritare, quibus est subjecta materia voti, non autem voluntas voventis. Quos in specie latè enumerat *La Croix* l. 3. *p.* 1. *n.* 482.

18. *Quid est Commutatio Voti?* ℟ Est substitutio alterius honesti operis locò ejus, quod per Votum promissum fuerat sub eadem obligatione.

19. *A quo fieri potest Commutatio Voti?* ℟. Si fiat in melius opus, potest fieri propria Authoritate, quia in meliori minus bonum continetur. Si verò fiat commutatio in æquale bonum, problema est apud DD. utrùm propria Authoritate commutatio fieri possit. Cæterùm si fiat commutatio voti in minus bonum, aut dubium sit de æqualitate boni, requiritur omnino Authoritas Ecclesiæ, ùt docent cōmuniter DD.

20. Commutare potest vota ille omnis qui potest dispensare, non tamen è contra, quia major est potestas dispensandi vota, quā commutandi.

21. *Quid est Dispensatio Voti?* ℟. Est abso-

abſoluta condonatio obligationis Voti, facta Nomine DEI.

22. *Quis poteſt diſpenſare in Votis?* R. 1mò. Omnes Prælati qui habent jurisdictionem in foro externo, ùt ſunt Superiores Ordinum exemptorum, qui ordinaria poteſtate poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis, in illis votis, in quibus poſſunt diſpenſare Epiſcopi cum ſuis Diæceſanis. Epiſcopi autem poſſunt in omnibus, exceptis quinq; Papæ reſervatîs de quibus ſuprà. 2dò. Confeſsarii Ordinum Mendicantium poſſunt in iisdem votis diſpenſare ſæculares, virtute ſuorum privilegiorum, ùt FF. Minores ex Con. *INNOC.* VIII. Carmel. *CLEM.* VIII.

23. *Nota* quòd Miſſionarii Carmel. Diſcal. ex Conceſſione *CLEM.* VIII. poſſunt diſpenſare cum ſæcularibus etiam in Voto perpetuæ Caſtitatis & Religionis, cum quibus etiam noſtri Miſſionarii (ad infideles) communicant, ùt docet *Sannig.* t. 34.

24. *Ob quas cauſas fieri poteſt Diſpenſatio?* R. 1. Ob bonum commune Eccleſiæ vel Reipublicæ. 2. Ob notabilem difficultatem in obſervatione voti. 3. Ob imperfectionem actûs, vel levitatem ex qua proceſſit Votum.]

§ II.

§ II
De HORIS CANONICIS.

1. *Quid & quot sunt Horæ Canonicæ?* ℟ Sunt preces quædam certîs horîs juxta Canones Ecclesiæ DEO persolvendæ.

2. Sunt autem septem, totidem mysteria Passionis Dominicæ denotantes, prout hîs versibûs explicantur.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputîs, causā dat Tertia mortis,
Sexta Cruci nectit, Latus ejus Nona bipartit,
Vespera deponit, tumulo Completa reponit

3. *A quo sunt institutæ Horæ Can:?* ℟ Ab Ecclesia, nempe ab Apostolis, ùt patet *Act.* 3. *v.* 1. Unde dicuntur D. Officium, vel quia per illas, obsequium præstamus DEO, vel quia componuntur ex Divinis Literis.

4. *Qui nam tenentur ad recitandum D. Officium?* ℟ Hi sequentes:

1mò. SS. Ordinibûs initiati, non obstante quòd sint suspensi, aut excommunicati. Clericus autem incipit obligari à puncto Subdiaconatûs suscepti, & quidem ad Horas correspondentes Horæ, quâ ordinatus est.

2dò.

2dò. Obligantur Clerici beneficiati etiam Minoristæ, nam beneficium datur propter Officium. Qui tamen habent duplex beneficium, non tenentur propter hoc dupliciter recitare D. Offic. sed sufficit si faciant tot commemorationes quot sunt beneficia seu Patroni beneficiorũ. S.R.C. 5. Julii 1698.

3tiò. Ad Recitandum D. Offic. tenentur ex Regula Professi Ordinis Minorum, & omnes alii Religiosi, qui sunt obligati ad Chorum, ùt patet ex eorum Constitutionibꝰ.

5. *An peccent prædicti, si omittant aliquã Horam?* ℟ Si id ex negligentia faciant, peccant mortaliter; venialiter autem, si unum Psalmum vel Hymnum negligant propter parvitatem materiæ, nisi id sæpiùs contingat.

Beneficiati ultra peccatum mortale tenentur in conscientia ante quamcunq; sententiam restituere fructus correspondentes tali negligentiæ, ùt si vg. omiserunt integrum diei Offic. totius diei privantur fructibûs; si Matutinum, mediam partem amittunt. Similiter si cæteras Horas recitare negligant, ùt patet ex Can. *de Beneficiatis*. Neq; possunt pro se substituere alios, qui pro ipsis Horas Canonicas recitent, quia obligatio est Personalis.

Similiter illi tenentur ad restitutionem, qui D. Offic. recitant voluntariè absq; ulla attentione, talis enim recitatio est nulla, quamvis alii probabiliter oppositum teneant.

6. *Cui debeat fieri hæc restitutio?* ℞ Ecclesiæ, vel pauperibus, ùt mandat Gelasius Papa.

7. *Quomodo recitari debet D. Officiũ?* ℞ Attentè, Clarè, & Devotè.

8. *Quid est Attentio?* ℞ Est: Applicatio animi ad opus, quod peragitur.

9. *Quotuplex est Attentio?* R. Duplex: *Interna*, quæ consistit in advertentia ad illud quod fit. Et *Externa*, quæ consistit in exclusione actionis externæ incompossibilis cum attentione interna.

10. *Quæ ex his requiritur ad D. Offic. attentè recitandum?* ℞ Interna, & non sufficit Externa; DEUS enim contra taliter orantes conqueritur Mat. 15. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.*

11. *Quotuplex est Attentio Interna?* R. Triplex: *Ad verba* materialiter sumpta. *Ad sensum* per verba significatum. Et *Ad DEUM*, quatenus illum colere intendimus.

12. *In recitatione D. Officii quæ ex his*

est

est necessaria? R. Est necessaria simpliciter attentio ad DEUM, & ad verba materialia; non autem ad sensum, aliàs rudes, & Moniales non satisfacerent.

13. *Quando Clarè recitatur D. Offic?* R. Tunc, dum verba expresè & distinctè pronuntiantur. Ex quo patet, quòd particulariter recitans Horas Can. debet seipsum audire, non verò intra guttur murmurare, humanô enim modô recitandæ sunt.

14. *Quando Devotè recitatur D. Offic?* R. Tunc, quando cum modesta compositione corporis absolvitur:

15. *Quid de istis sentiendum qui intra Horas Canonicas rident, aut loquuntur?* R. Tales peccare mortaliter, si id voluntariè faciant, magis adhuc si cum scandalo juniorum, gravior enim est culpa irreverenter D. Offic. recitare, quàm illud omittere, quia omissio est actus pigritiæ, talis verò recitatio est actus irreverentiæ, ùt notat D. *Aug.* de Orat.

16. *An peccent qui in Choro clarâ voce non cantant etiamsi possint?* R. Affirmativè. Tales enim juxta S. P. N. Franciscum FF. Muscæ appellandi sunt, qui aliorum labores manducant. Clamori tamen multùm

præponenda est elevatio mentis, quia: *Non clamor, sed amor cantat in aure DEI.*

17. *Quæ Interruptio est gravis in D. Officio?* R. Jlla, in qua notabilis intercedit differentia temporis inter unum & alterum Psalmum, ita; ut recitatio Psalmorum alicujus Horæ conjuncta Interruptioni excedat durationem unius Horæ Horologii, sic enim recitans facit contra unitatem Moralem D. Officij.

18. *An Inversio Horarum potest fieri licitè aliquando?* R. Affirmative, nam si quis Vesperas ante Nonam recitaret, animadversô errore deberet recitare Nonam absq; repetitione Vesperarum, & sic de cæteris.

Imò aliquando scienter id fieri potest absq; ulla culpa etiam veniali, ùt si quis vg. cum ægroto recitasset Sextam & Nonam, nō recitatâ Primâ & Tertiâ, poterit post Nonam recitare Primam & Tertiam, non repetendo Sextam & Nonam.

Similiter veniens tardè ad Chorum, potest, imò & debet prosequi D. Officium cum Choro, animô supplendi postea partem omissam, ùt si vg. veniret ad Matutinum post Hymnum vel Psalmum aut etiam tardiùs, debet cum Choro continuare reliqua, & postea partem omissam supplere. 19.

19. *Debetne ante Missam necessariò recitari Matutinum?* R. Debet ex communi praxi Ecclesiæ. Si tamen necessitas celebrandi immineat, nulla apparet obligatio, sed sufficit si postea recitetur. Ita *Tamb. Laym.* & *Gav.* t. 1. p. 2.

20. *Quid præterea notandum est circa D. Officium?* R. Hæc sequentia.

1mò. Quotiescunq; sive in D. Officio sive etiam extra, non sequitur post Orationem versus vg. *Dominus vobiscum*, *Benedicamꝰ* &c. toties brevî clausulâ terminari debet eadem Oratio. sic vg. *Per Christum Dominum nostrum.* Vel *Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum.* Secùs verò concludi debet, nēpe longiori conclusione, si post finem Orationis sequuntur prædicti versus vel alii.

2dò. Quando particulariter recitatur ab uno duntaxat Matutinū, aut Completoriū, tunc ad petitionem benedictionis non debet dici: Jube *Domne* benedicere (prout dicitur in Choro dum ab Hebdomadario petitur benedictio) sed: Jube *Domine* benedicere, quia non ab homine sed à DEO benedictio postulatur, qui propriè vocatur Dominus; omnis autem homo in quacunq;

dignitate etiam Papali constitutus, Domnus dici debet juxta *Merati* par. 2. tit. 6. n. 4. ubi ex Macrio adfert hunc versum:

Cælestem Dominum; terrestrem dicito Domnum.

3*tiò*. Frater Ord. Minorum recitans ex libro & non memoriter D. Officium, consequitur remissionem dimidiæ partis peccatorum commissorum in illa die, quâ prædictum solverit D. Officium. Ex Concessione *Leonis* X.

DECRETA.

S. RIT. CONGR. circa D. OFFICIUM.

1. Tertiarii S.P.N. Francisci degentes in sæculo, possunt uti Breviariô Ord. Minorum, & illius Kalendariô conformari. Ita S. R. Congr. 7. Augusti 1694.

2. Clerici tàm Sæculares quàm Regulares dum morantur extra suam Diæcesim non solùm possunt sed etiam debent recitare Div. Officium suæ Diæcesis, non verò illius in qua pro tunc manent. Ita S. R. C. 8. Septembr: 1605.

3. In orationibus non sunt nominanda cognomina & Patria SS. ùt vg. in Orat. S. Joannis, ly: *à Capistrano* est semper omittendum. Ita S. R. C. 23. Junii 1736:

4.

4. Quando in Menſe Novembri ſunt eadem die ponenda plura initia Prophetarum, dicenda eſt tantùm unica lectio uniuscujusq; Prophetæ, non verò tres in unam ſunt componendæ. Ita S. R. C. 5. Julii 1698.

5. Non poſſunt poni plura quàm tria initia Prophetarum unica die. Ita S. R. C. ſuperiùs cit.

6. Quando infra Octavam Corporis Chriſti fit Officium de aliquo feſto duplici, non debet omitti 9. l. ſimpl. Cæterùm ſi fiat de Oct. ejusd. Corp. Chriſti, omittenda eſt. Ita S. R. Cong. 4. Apr. 1705.

7. Translatô Feſtô quò ad Offic. in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur ipſa Indulgentia, niſi ex conceſſione ſpeciali. Ita S. R. C. 10. Junii 1690.

8. Si verò tranſfertur Feſtum non ſolùm quò ad Offic. ſed etiam quò ad Forum, ſeu quò ad Populum, non deſunt qui cenſent transferri pro tunc etiam Indulgentiam, allegando Decr. S. C. Indulg. 2 Julii 1674.

9. *URBANUS* VIII. Conſt. 278. quæ incipit: *Cùm Eccleſiæ* &c. Seriò prohibet ſub Excommunicatione Latæ Sententiæ, ne à Clericis in Eccleſia ſumatur tabacum; multò magis à Sacerdotibus ante Miſſam

vel in Missa. Tenor Bullæ: *Omnibus & singulis utriusq; sexûs Personis cujusvis Ordinis, Instituti &c. Regularibus quomodolibet qualificatis, & quantumlibet privilegiatis, & exemptis, etiam speciali notâ & expressione dignis, ne de cæterò in quibusvis Civitatis & Diæcesis prædictarum Ecclesiarum, earumq; atriis & ambitu, Tabacum sive solidum, sive in frusta concisum, aut in pulverem redactum &c. & aliàs quomodolibet sumere audeant vel præsumant sub Excommunicationis latæ sententiæ (eò ipsò absq; aliqua Declaratione per contra facientes) incurrendæ pœna, authoritate Apost. tenore præsentium interdicimus & prohibemus.*

§. III.
De SUBDIACONATU.

1. *Quid est Subdiaconatus?* R. Est: *Potestas, per quam ordinatus in Subdiaconum potest portare calicem cum vino ad altare, præparare necessaria ad Eucharistiam, & Epistolam legere.*

2. *Quotuplex est Materia Subdiaconatûs?* R. Duplex: *Remota*, & *Proxima*. Remota est

eſt duplex, Una eſt calix vacuus & patena vacua, Altera verò eſt liber Epiſtolarum. Proxima autẽ eſt horum traditio & acceptio.

3. *Quotuplex eſt Forma Subdiaconatûs?* R. Duplex Una correſpondens materiæ primæ, nempe Calici & patenæ, quæ ſunt hæc verba ab Epiſcopo prolata: *Videte cujus miniſterium Vobis traditur* &c. Altera correſpondẽs libro Epiſtolarũ, & ſunt hæc verba: *Accipe librum Epiſtolarum* &c.

4. *Quod eſt Officium Subdiaconi?* R. 1. Calicem & patenam ad uſum Sacrificii præparare, & ad altare deferre. 2. Epiſtolam ſolemniter cantare, ſcilicet cum manipulo. 3. Vinum & aquam Diacono porrigere. 4. Sacra vaſa uti pallas, corporalia, &c. lavare. 5. Crucem in proceſſionibus portare.

5. *Nota*, quòd deficiente Subdiaconô pro Miſsa ſolemni, poteſt ſubſtitui Clericus in Minoribus conſtitutus ad cantandam Epiſtolam, abſq; tamen manipulo. Ita S. R. Cong. 5. Julii 1698.

6. *Quæ eſt Obligatio Subdiaconi?* R. Eſt D. Officium recitare, & Caſtitatem perpetuò ſervare.

7. *Quando, & à quo fuit inſtitutus Subdia-*

diaconatus R. A Christo D. *Joan.* 13. quā-do linteô præcinctus pedes Discipulorū lavit.

8. *Quomodo Subdiaconatus poterat institui à Christo D. siquidem Materia ejus necdum fuerat? scilicet liber Epistolarum?* R. Quòd Christus D. materiam & formam Sacramenti Ordinis solùm in genere instituit, videlicet ùt sit aliqua res sensibilis pro Materia, pro Forma verò verba exprimentia potestatem Ordinis; In specie autem assignare Materiam & Formam reliquit arbitrio Ecclesiæ.

9. *Quare Clericus potest cantare in Missa Epistolam pro Subdiacono absq; manipulo, non tamen Subdiaconus Evangelium pro Diacono etiam absq; stola?* R. Quia Lector in traditione suæ materiæ accipit librum Epistolarum, qui etiam liber est materia Subdiaconatûs; hinc potestas Lectoris potest extendi ad Officium Subdiaconi. Cæterùm materia Subdiaconatûs non includit Evangelii librum qui est Materia Diaconatûs. Unde nullô pactô Subdiaconi potestas extendi potest in Evangelium cantandum.

§. IV.
De DIACONATU.

1. *Quid est Diaconatus?* R. Est: *Potestas,* per

per quam ordinatus in Diaconum poteſt proximè Sacerdoti in Miniſterio Altaris aſſiſtere, & Evangelium ſolemniter legere.

2. *Quotuplex eſt Ejus Materia?* R. Duplex: *Remota, & Proxima.* Remota eſt liber Evangeliorum, & manus Epiſcopi. Proxima verò eſt ejusdem libri traditio & acceptio, ac manûs Epiſcopi impoſitio.

3. *Quotuplex eſt Forma Diaconatûs?* R. Duplex: Una correſpondens 1*mæ* Materiæ, & ſunt hæc verba: *Accipe poteſtatem legendi* &c. Altera correſpondens 2*dæ* Materiæ, ſunt hæc verba: *Accipe Spiritum S. &c.*

4. *Quod eſt Officium Diaconi?* R. 1. Presbytero ſacrificanti proximè aſſiſtere. 2. Evangelium ſolemniter cantare, videlicet cũ ſtola. 3. In defectu Presbyteri vel de ejus licentia Euchariſtiam populo diſtribuere. 4. In abſentia vel de licentia Presbyteri ſolemniter baptizare. 5. Populo prædicare.

5. *Quæ eſt Obligatio Diaconi?* R. Horas Canonicas recitare, & Caſtitatem ſervare.

6. *A quo inſtitutus eſt Diaconatus, & quando?* R. A Chriſto Domino, quando diſcipulis corpus & ſanguinem diſpenſavit *Joan.* 13.

§. V.

§. V.

De PRESBYTERATU.

1. *Quid est Presbyteratus?* R. Est: *Potestas, per quam ordinatus in Presbyterum potest consecrarare corpus & sanguinem Christi, & à peccatis fideles absolvere.*

2. *Quotuplex est Materia Ejus?* R. Duplex: *Remota, & Proxima.* Remota est duplex: Una, est calix cum vino, & patena cum hostia. Altera, est manus Episcopi. Proxima etiam est duplex: Una, est traditio calicis cum patena. Altera, est impositio ultima manûs Episcopi.

3. *Quotuplex est Forma Presbyteratûs?* R. Duplex: Una in traditione calicis cum vino, & patenæ cum hostia, & sunt hæc verba: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium* &c. Alia in impositione manûs Episcopi, & sunt hæc verba: *Accipe Spiritum S.* &c.

4. Cætera verò uti Unctio manuum, sunt de solemnitate Presbyteratûs, non verò de essentia,

5. *Quotuplicem accipit potestatem Presbyter in sua ordinatione?* R. Duplicem: Unam in Corpus Christi physicum per traditionem calicis. Alteram in Corpus Christi Mysticum per impositionem manûs Episcopi.

6.

6. Corpus Chrifti Myfticum funt ipfi fideles, quorum Supremum Caput eft Chriftus Dominus.

7. *Si Presbytero daretur prima poteftas absq; fecunda, validene ordinaretur?* R. Affirmativè, quia prìma poteftas non necefsariò dependet à fecunda; in tali tamen cafu non pofset validè fideles à peccatis abfolvere, quia nullam quò ad hoc haberet poteftatem.

8. *Quid fi illi daretur poteftas fecunda & non prima?* R. Invalidè ordinaretur, quia poteftas abfolvendi fideles à peccatis necefsariò præfupponit poteftatem in Corpus Chrifti verum, nam in illa fundatur; Cujus ratio defumitur ex mente Chrifti, qui priùs dedit primam poteftatem Apoftolis, nempe in ultima Cæna, fecundam verò poftea, usq; poft refurrectionem *Joan.* 20.

9. *Quod eft Officium Presbyteri?* R. Præcipuũ ac principale eft: Mifsam celebrare, & à peccatis fideles abfolvere.

10. *Quæ eft obligatio Presbyteri?* R. Horas Canonicas recitare, & Caftitatem perpetuò fervare.

11. *Quot funt Effectus Presbyteratûs?* R. Tres: Gratia Habitualis fecùnda, Character,

racter, & Gratia Sacramentalis, qui effectus ſunt cōmunes omnibus ſeptē Ordinibus.

12. *Quotuplex cauſatur Gratia & Character in Ordinatione Presbyteri?* R. Duplex: juxta V. Scotum in 4. d. 19. q. 1. ſicuti etiam in ordinatione ejus duplex illi datur poteſtas. Tum quia dum Presbytero datur prima poteſtas, cauſatur in illo Gratia & Character, ùt omnes concedunt: ergo etiam dum ſecunda illi tribuitur, debet ipſi nova ſuperaddi gratia, quia non eſt major ratio de una quàm de alia.

13. *Quando fuit inſtitutus Presbyteratus?* R. Quò ad poteſtatem in Corpus Chriſti phyſicum, fuit inſtitutus in ultima Cæna. Quantùm verò ad poteſtatem abſolvendi, fuit inſtitutus *Joan.* 20. dū dixit Apoſtolis: *Quorum remiſeritis peccata remittentur eis &c.*

PARS

PARS III.
De Sacrificio Missæ, ejusq; Ceremoniis.
SECTIO I.
De Natura, & Effectu Sacrificii Missæ.
ARTICULUS I.
De Sacrificio in Communi.

1. *Quotupliciter sumitur Sacrificium?*
R. Dupliciter: *Propriè & Impropriè.*

2. *Impropriè* sumitur, pro quolibet opere bono & meritorio, ùt dicit *S. Augustin.* l. 12. De Civ. DEI c. 16. *Verum Sacrificium est, omne opus bonum quod agitur* &c. Et *Psal.* 30. dicitur: *Sacrificium DEO Spiritus contribulatus.* Eccl. 36. *Qui facit misericordiam, offert Sacrificium.*

3. *Propriè* verò accipitur, pro certo Religionis actu, quô supremum cultum soli DEO debitum exhibemus.

4. *Quid est Sacrificium propriè sumptum?*
R. Est: *Oblatio externa rei sensibilis, legiti*

giti

gitimâ authoritate instituta, à Ministro competenti, per immutationem illius rei, soli DEO facta, in protestationem illius supremi Dominii in vitam & mortem.

5. *Quæ sunt de essentia Sacrificii propriè sumpti?* R. Hæc duo: 1. Ut fiat in honorem DEI 2. Ut res oblata immutetur seu destruatur, prout fiebat, etiam in oblationibus pecudum antiquæ legis, quæ occidebantur, & vini, quod in terram effundebatur.

6. *Quotuplex est Sacrificium?* R. Duplex: *Cruentum*, in quo effunditur Sangvis. Et *Incruentum*, in quo sangvis non funditur.

7. *In lege antiqua fueruntnè aliqua Sacrificia?* R. Affirmativè, ùt constat ex Libro Levitico.

8 *Quotuplicia hæc fuerunt Sacrificia?* R. Ratione Materiæ seu Rei oblatæ, fuit triplex Sacrificiū nempe: Victima, Immolatio, & Libamen.

9. *Victimæ*, fiebāt ex animatis. ùt ovibus, bobus &c.

10. *Immolationes*, ex rebꝰ inanimatis, solidis tamen. ùt farinâ, pane. &c.

Liba-

11. *Libamina* fiebant ex rebus liquidis, ùt vinô & aqua.

Ratione finis, fuit triplex Sacrificium, nempe: Latreuticum, Pacificum, & Propitiatorium.

12. *Latreuticũ*, offerebatur DEO ſpecialiter in recognitionem D. Majeſtatis & Supremi illius Dominii.

13. *Pacificũ*, offerebatur DEO pro beneficiis. Et hoc, ſi fuit pro beneficiis acceptis, vocabatur: *Eucharisticum.* Si verò pro accipiendis, dicebatur: *Impetratorium.*

14. *Propitiatorium* autem illud fuit, per quod offenſus placabatur DEUS, & venia impetrabatur.

15. *Per quid differunt Sacrificia antiquæ legis à Sacrificio Miſſæ?* ℟. Per hoc, quia illa cauſabant gratiam ex opere operantis, id eſt ex meritis ipſius offerentis; Miſsæ autem Sacrificium cauſat gratiam ex opere operato, id eſt ex meritis Chriſti Domini.

ARTICULUS II.

De Natura Sacrificii Miſsæ.

1. *Unde derivatur Nomen Miſsæ?* ℟. Secundùm aliquos, ab Hæbraica voce *Miſsach*, id eſt: Oblatio voluntaria. Vel etiam dicitur

citur à verbo: *Mitto*, quia in illa Oblatio & preces mittuntur ad DEUM. Vel quia per Consecrationem Christus mittitur ad nos à Patre.

2. Vel tandem juxta S. *Aug.* Missa dicitur à MISSIONE, seu dimissione populi; in primitiva enim Ecclesia duplex erat populi dimissio, ùt refert cit. S. *Aug.* Serm. 237. *Una* ante Sacrific. Missæ, per quam dimittebantur Catechumeni, Energumeni, & alii nondum adhuc baptizati, clamante Diaconô: *Ite, Missa est.* his enim omnibus non licebat Sacris interesse. *Altera* dimissio erat, per quam cætus fidelium finitô Sacrificiô Missæ dimittebatur, clamante Diacono: Ite Missa est (sicut & nunc est in usu) ac si diceret: jam ite securi, siquidem pro vobis oblatio transmissa est ad DEUM.

3. *Quid est Missa?* ℟. Est: *Sacrificium incruentum, consistens in consecratione panis & vini ac consumptione.*

4. *Missa estnè propriè dictum Sacrificium?* R. Affirmativè cum Trid. ses. 22. c. 1. contra Lutherum, qui lib. de Cap. Babyl. negat Missam esse verum Sacrific.

5. *Quomodo res oblata (quæ est Christus*

stus destruitur in Sacrificio Misſæ? ℞ Non destruitur quidem physicè, cùm sit immortalis, benè verò moraliter & mysticè.

1mò: quia ponitur in Euchar. modô quasi mortuô, siquidem sanguis ejus ponitur separatim à corpore ex vi verborum. Unde fit mystica effusio sanguinis per gladium verborum.

Hinc S. *Gaudentius* t. 2. in Exod. Eucharistiam appellat: Exemplar Passionis Christi, quia sicuti in passione propter separationem sanguinis à corpore secuta est mors Christi, ita etiam in Sacrif. Misſæ sequeretur, nisi interveniret miraculum.

2dò: Ponitur sub speciebus quasi mortuus, quia nullam habet functionem & operationem sensuum externorum.

6. *Sacrificium Misſæ estne idem cum Sacrificio Crucis?* R. Est idem quò ad substantiam rei oblatæ & principalem Offerentem, quia utrobiq; est idem Christus. Quò ad modum tamen, Ritum, & alias circumstantias est diversum: quia in Cruce erat Cruentum, & fiebat per actionem physicè destructivam Christi; nunc autem est Incruentum, & fit per actionem moraliter tantùm destructivam ejusdem.

7.

7. *Per quid differt Sacrificium Missæ à Sacramento Eucharistiæ?* R. Per ista:

1mò: Quia requirit consecrationem utriusq; speciei. Eucharistia verò in una habetur specie.

2dò: Quia est quid transiens, cùm in actionibus consistat transeuntibus; Eucharistia verò est permanens.

3tiò: Quia primariò ordinatur ad cultum Div. Eucharistia verò primariò ordinatur ad sanctificandum hominem.

PARTES SACRIFICII MISSÆ.

8. *Quotuplices sunt partes Sacrificii Missæ?* R. Duplices: Aliæ: *Essentiales*, sine quibus validè non potest fieri. Et Aliæ *Integrales*, quæ non sunt de essentia ejus, integrant tamen illud.

9. *Quot sunt Partes Essentiales Sacrificii Missæ?* R. Juxta *V. Scotum* in 4. d. 3. sunt duæ: *Consecratio* & *Consumptio*, in Consecratione enim includitur & Oblatio, nam tunc Christus seipsum offerre dicitur, quando dat nobis suam carnem, dat autem illam, dum Sacerdos dicit: Accipite & manducate: *Hoc est Corpus meum.*

10. Juxta alios DD. tres sunt partes essentiales Missæ, nempe: Consecratio, Oblatio, & Consumptio.

11.

11. *Quotuplex est Oblatio in Sacrificio Missæ?* R. Duplex: Una Panis & Vini, quæ habetur in Offertorio per illa verba: *Suscipe S. Pater* &c. Altera est Oblatio Corporis & Sanguinis Christi, quæ fit post Consecrationem per illa verba: *Unde & memores &c.* usq; ad: *Supplices Te deprecamur* &c. inclusivè.

12 *Quæ ex his Oblatio est de essentia Missæ?* R. Secunda, nam res oblata in Sacrif. Missæ est Corpus & Sanguis Christi, non verò panis, aut vinum.

13. *Quotuplices sunt partes Integrales in Sacrif: Missæ?* R. Duplices: *Principales* seu Ordinariæ Et *Minùs Principales* seu Non Ordinariæ.

14. *Principales* & Ordinariæ sunt illæ, quæ in omni Sacrificio habentur.

15. *Minùs Principales* seu Non Ordinariæ sunt, quæ non habentur in omni Sacrificio, sed tantùm aliquando, & tales sunt vg. *Gloria*, *Credo*, plures *Epist: Coll:* &c.

16. *Quot sunt Partes Principales Integrales?* R. Quatuor: 1*ma* Incipit ab Introitu ad Offertoriū. 2*da* Ab Offertorio ad Canonē, qui incipit ab his verbis: *Te igitur* &c. usq; ad Cōmunionē inclusivè. 3*tia* A

Cano-

Canone ad ſumptionem. *4ta* Ad finem continuatur.

ARTICULUS III.
De Materia & Forma Sacrificij Miſſæ.

1. *Quæ eſt Materia Sacrificii Miſſæ?* R. Minùs Principalis & tranſiens, eſt Panis & Vinum. Principalis verò & permanens, eſt ipſe Chriſtus. Ita *Trid.* ſes. 22. *Cap.* 1.

2. *Quô Jure neceſſaria eſt utraq; ſpecies?* R. Jure Divinô, qui voluit in Sacrific: Miſſæ expreſſam habere repreſentationem Sacrificii Crucis, in quo totus Chriſtus immolatus eſt, per poſitionem Corporis ſine Sanguine; & Sanguinis absq; Corpore.

Hinc intantùm eſt neceſſaria utriusq; ſpeciei conſecratio, ùt neq; Papa in hoc diſpenſare poſſit, juxta V. Scotum in 4. d. 8, q. 3.

3, *Validumne eſſet Sacrif. Miſſæ ſi in unica ſpecie Sacerdos per errorem vel ex malitia conſecraret?* R. Affirmativè, quia haberetur in caſu totum id, quod requiritur ad eſſentiam Sacrificii Miſſæ, nam fieret oblatio Corporis & Sanguinis ſaltem con-

concomitanter. Tum quia in una ſpecie ſalvatur Eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ; ergò etiam & ratio Sacrificii, ſaltem quò ad eſſentiam. Ita ex Scotiſtis *Aretinus Poncius &c.* Tale tamen Sacrificium non eſſet integrum, quia ad integritatem ejus utraq; requiritur ſpecies, ùt omnes concedunt.

4. *Qualis panis requiritur?* R. Ad valorem requiritur omninò triticeus, qui in Latina Eccleſia ſub mortali debet eſſe Azymus, in Græca verò fermentatus.

5. *Quale Vinum requiritur?* R. De vite, nec ſufficit ſi ſit in uva, aut imbibitum in panem, quia ſic eſt potiùs cibus quàm potus.

6. *Quid ſi fuiſſet congelatum?* R. Eſſet ſufficiens, quia tale vinum per accidens tantùm non eſt potabile, facile tamen redditur ad potandum. Si tamen eſſet totaliter congelatum illicitè ſecundùm aliquos conſecraretur.

7. *Quomodo tale vinum liqueſieri debeat?* R. Per tactum manuum, vel alterius corporis, puta lapidis calefacti; non autem per halitum, quia ſic poſſet deſtrui ſubſtantia vini ſatis per congelationem debilitata, nam per halitum in calice generatur aqua ſalſa

aliquo-

aliquomodo, aut sulphurea juxta temperamentum hominis.

8. *Gutta aquæ quæ solet admisceri estne de essentia Sacrif. Missæ?* R. Non est, sub mortali tamen omitti non debet, propter mysterium quod significat.

9. *Quô jure est adhibenda?* R. Jure Ecclesiasticô, ùt videre est *Trid.* ses. 22. c. 7.

10. *Quod Mysterium significat?* R. 1. Effusionem aquæ cum sanguine ex latere Christi. 2 Unionem hominis cum DEO, nam per vinum denotatur Divinitas, per aquam populus, juxta illud *Apoc:* 17. v. 15. *Aquæ quas vidisti populi sunt & gentes.* Tum quia & Christus Dominus supponitur in usuali consecrasse vino, cui solet misceri aqua.

11. *In Consecratione convertiturne hæc aqua in sanguinem?* R, Affirmativè, priùs tamen debet converti in vinum juxta V. Scotum in 4. d. 3. q, 3.

12. *Et si ante consecrationem non esset conversa in vinum?* R. Pro tunc non converteretur in Sanguinem D, neq, consecraretur, quia Materia consecrationis calicis est solùm vinum non verò aqua, ùt docet Ecclesia, porro aqua etiamsi sit admixta vino, tamen

tamen adhuc est substantialiter aqua, consequenter inepta ad consecrandum.

13. *Ergo in tali casu populus committeret Idololatriam, quia aquam in calice adoraret?* ℟ Negativè, quia non aquam sed sanguinem D. adoraret, sicuti non calicem adorat, etsi ad elevationem illius inclinatur.

14. *Quàm in magna copia aqua infundi debet?* R. Juxta Flor. in parva, nè vinum corrumpat, & ut citiùs convertatur in illud, unde una gutta sufficere videtur.

15. *Quæ est Forma Consecrationis Panis?* R. Sunt hæc verba: *Hoc est enim Corpus meum.* Omnia sunt de essentia, exceptô ly: *enim* quod tamen ex præcepto sub mortali non est omittendum.

16. *Quæ est Forma Consecrationis Vini¿* R. Sunt hæc verba essentialiter requisita: *Hic est calix Sanguinis mei.* Vel: *Hic est Sanguis meus.* Reliquæ autem particulæ, sunt de Integritate formæ, ex præcepto sub mortali non omittendæ.

17. *Quomodo verba Consecr. proferri debent?* ℟ Recitativè simul & significativè, quia debet Sacerdos id recitare, quod Christus in ultima cæna dixit; & simul significare quod fecit.

18. Item: Debent proferri in Persona Christi, non verò ipsius Sacerdotis, quia aliàs falsò diceret Celebrans: Hoc est Corpus meum, siquidem non ejus corpus, sed Christi, vi verborum ponitur.

19. Item: Debent proferri depressâ voce, & non clarâ, nam juxta *Gobat* n. 69. mortaliter peccaret Sacerdos, si audiretur ad 40. passus. Et juxta *Gavant.* & *Pasq.* etiam ad 10. passus. Ecclesia enim ideò prohibuit verba Consecrationis altâ voce proferri, nè populus illa audiens, postea temerè aut ad jocos utatur ejsdem.

20. *Quomodo adhuc proferri debet forma Consecr:?* ℟. Modestè simul & maturè, non movendo caput, aut alios gestus faciendo, quia hæc Sacramento irreverentiam, & populo scandalum pariunt.

21. *Validane est Consecratio, quando Sacerdos propter supervenientes distractiones non habet actualem Intentionem dum profert verba?* ℟. Affirmativè, dummodo certus sit de Integritate formæ, nam talis adhuc retinet Intentionem virtualem contentam in actionibus, quibûs lavat manus, apponit hostiam, induit vestes, accedit ad altare &c. hæc enim faciendo non aliud inten-

intendit quàm ſacrificare & conſecrare. Quæ Intentio non deſtruitur per ſupervenientes cogitationes, ùt notat *Tamb. Henriq.* & alii DD.

Securiſſimus autem erit de ſua Intentione ſi ante Mìſsam dicat Orat. *Ego volo celebrare Miſsam* &c. approbatam à *Gregorio* XIII. niſi id ex conſuetudine faciat.

ARTICULUS IV.
De Effectu Sacrificii Miſsæ.

1. *Quotuplex eſt Effectus Sacrif. Miſsæ?* R. Triplex: Meritorius, Impetratorius, & Satisfactorius.

2. *Meritorius* eſt: quia per Miſsæ Sacrificium tàm offerens, quàm etiam ille pro quo offertur meretur augmentum gratiæ.

3. *Impetratorius* eſt: quia per Miſsam impetrantur bona, non ſolùm ſpiritualia, ſed etiam temporalia.

4. *Satisfactorius* etiam cauſatur Effectus: quia per Sacrif. Miſsæ ſatisfacimus pro peccatis DEO, ùt deciſum eſt à *Trid.* ſeſ. 22. Can. 3.

5. Recolligenda ſunt quæ diximus de Sacrificiis antiquæ legis pag. 234. Aliud

fuisse Latreuticum, aliud Pacificum, & aliud Propitiatorium, quæ applicari possunt Sacrificio Missæ, quia hos omnes Effectus præstat, & quidem præstantiori modô, ùt docet *S. Aug.* q. 57.

6. *Quotuplex est Fructus Sacrificii Missæ?* R. Triplex: Generalis, Specialis & Specialissimus.

7. *Generalis* est ille; quem Ecclesia applicat omnibus omnino fidelibus tàm vivis quàm defunctis.

8. *Specialis* est ille; qui competit illi, pro quo offertur Missa.

9. *Specialissimus* ille, qui soli Sacerdoti celebranti ita tribuitur, ùt juxta plures DD. nulli alteri applicari possit.

10. *Fructus Missæ estnè infinitus?* ℟. Ex parte rei oblatæ est infinitus, finitô tamen modô applicatur, ita; ut si Missa offeratur pro pluribus, minùs singulis prodest, quàm si uni applicata fuisset, ùt patet ex praxi Ecclesiæ, quæ jubet ad multiplicationem stipendii multiplicari Sacrificia Missæ.

11. *Majorne habetur Fructus dum celebrat devotus Sacerdos quàm dum impius?* ℟. Negativè, quia Fructus Missæ causatur

ex

ex opere operato, nempè ex meritis Christi, non ex opere operantis. Poteſt tamen devotus Sacerdos plùs mereri ratione diſpoſitionis ſuæ, hic tamen Effectus non pertinet ad Sacrificium Miſsæ, ùt Sacrificium eſt.

12. *Quis eſt Miniſter Sacrificii Miſsæ?* ℟ *Principalis*, eſt ipſe Chriſtus, qui etiam eſt ſimul & res oblata. *Minùs Principalis*, eſt ſolus Sacerdos.

13. *Quotuplex eſt Miniſter Sacrificii Miſsæ?* ℟ Duplex: Conficiens & Offerens. *Conficiens*, eſt Chriſtus, & in Perſona ejus ſolus Sacerdos.

Offerens verò Miniſter eſt multiplex. 1*mò*: Eſt Ipſe Chriſtus, qui ùt homo ſeipſum offert DEO Patri. Ita *Trid.* ſes. 22.

2*dò*: Offerens eſt Sacerdos conſecrans.

3*tiò*: Tota Eccleſia offert Sacrif. Miſsæ mediante Sacerdote. Ex *Innoc.* III. l. 3. c. 5. celebrans enim dicit nomine Eccleſiæ: *Offerimus Tibi Domine calicem &c.*

4*tò*. Specialiter offerunt Sacrific. Miſſæ dantes pro illo ſtipendium, vel miniſtrantes celebranti, aut aſſiſtentes.

14. *Participantne omnes prædicti fideles de fructu Sacrif. Miſsæ?* ℟ Affirmativè ſi diſpoſiti ſint, non æqualiter tamen, ſed

illi magis participant, qui magis vel propiùs concurrunt, hoc nempè ordine. 1. Sacerdos. 2. Pro quo Missa absolvitur. 3. Ministrantes 4. Assistentes.

15. Omnes specialiter offerentes, non solùm participant de fructu Sacrif. Missæ, sed etiam aliis eundem possunt applicare. Ita *Suar. Henriq.* & alii.

SECTIO II.

De Applicatione, Qualitate, Loco, & Tempore Missæ, ac Dispositione ad illam.

ARTICULUS I.

De Applicatione Missæ.

1. *Poteſtne Sacerdos tutâ conſcientiâ accipere ſtipendium prò Miſsa?* ℟ Poteſt, Dignus enim eſt operarius mercede ſuâ, nàm qui Altari inſerviunt cum altari participant juxta *Apoſt.* 1. ad Corint. c. 9.

2. *Videtur per hoc Simonia committi?* ℟ Negativè, quia pecunia non datur Sacerdoti pro Sacrificii Fructu quaſi per commutationem, ſed liberaliter offertur illi pro externo Miniſterio ad ſuſtentandam vitam, ſimul

ſimul cùm petitione Orationis; Sacerdos verò quia ſe obligat orare pro dante ſtipendium, idèó ex juſtitia tenetur ìd adimplere.

3. *Quàmdiu poteſt differre Miſsam Sacerdos acceptô ſtipendiô?* ℟ Ad ſummùm ad 60. dies, aliàs peccaret mortaliter, ùt docent communiter DD. apud *Bonac.* diſp. 4. q. ult. citati, quia talis dilatio ſæpiùs vergit in damnum illorum, pro quibus Sacrificium abſolvi debet.

4. *Poteſtne Sacerdos abſolvere Miſsam ad intentionem illius, qui primò daturus eſt illi ſtipendium?* ℟ Negativè, prout deciſum eſt à S. Cong. 1605. approbante *Paulo V.*

5. *An licet Sacerdoti committere alteri Miſsam celebrandam retentâ ſibi parte ſtipendii?* R. Non licet, prout vetuit S. Cong. approbante *Urbano VIII.* niſi minùs petierit ſtipendium, quia volenti non fit injuria.

6. *Cui Miſsa applicari poteſt?* ℟ Omnibus fidelibus tàm vivis, quàm defunctis, non tamen damnatis, excommunicatis Majorì Excomm: Infidelibus, Cathechumenis, ac aliis qui ſunt extra Eccleſiam, ùt prohibitum eſt in *Conc. Arauſic.* c. 20.

Poteſt tamen offerri pro illis, ùt con-

vertantur, hoc enim præcepit Apost. 1. ad Timot. c. 2. ubi jussit discipulos orare pro Regibus, qui tunc erant infideles.

7. Applicatio valet ad intentionem illius, quem DEUS videt indigentem, aut quem per celebrantem liberare vult, aut pro quibus Sacerdos orare obligatur; DEUS enim scit omnium mentes, status, & necessitates.

8. Potest gradatim applicari eadem Missa pro pluribus, ùt si vg. non prosit Fratri, prodeat Patri, aut alteri. Imò potest validè Sacerdos dimidiare fructum specialem, ùt vg. una medietas Petro, altera competat Paulo. Ita *Pasq.* q. 173.

9. *Quid si incapaci applicaretur Missa?* ℞ Fructus ejus maneret in thesauro Ecclesiæ, ùt docet *Suar.* Vel etiam cederet ipsi celebranti, aut illis pro quibus tenetur specialiter offerre, ùt tenet *Laym.* c. 2.

10. *Quando applicari debet?* R. Antè, vel in ipsa consecratione saltem secundæ speciei, non verò post Consecr. utriusq; speciei, quia tunc oblatio peracta est.

11. *Qualis Intentio requiratur in Sacerdote ad applicationem Missæ?* R. Non requiritur omnino actualis, aut explicita, sed sufficit implicita; Undè si Religiosus nemini appli-

applicasset, censetur esse voluntas ejus, ut prosit illis pro quibus sacrificare jussit Superior.

12. *Validene applicaret Missam Religiosus contra voluntatem sui Superioris?* R. Affirmativè, quia solus Sacerdos celebrans est Minister hujus Sacrificii ad quē pertinet applicare juxta suū placitū, peccaret tamen graviter contra obedientiam.

ARTICULUS II.
De Votivis.

1. *Quotuplices sunt Votivæ?* R. Triplices. *Primi Generis* sunt illæ: quæ dicuntur de aliquo Sancto vel solemnitate, de qua juxta Rubricas per Anni circulum celebratur dies festus.

2. *Secundi generis* sunt illæ: quæ habentur in Missali Rom. post Commune SS. Et tales sunt 8. Feria II. de SS. Trinitate. Feria III. de Angelis. Feria IV. de Apostolis. Feria V. de Spiritu S. vel SS Sacramento. Feria VI. de Cruce vel Passione. Sabbathô de B. Virgine.

3. *Tertii generis* sunt illæ, quæ habentur in fine Missalis Rom. Et hæc olim tredecim erant, nunc autem 14. numerantur,

quia illis addita est Votiva, Ad postulandam gratiam benè moriendi, ex Decr. S. Rit. Congr. 20. Martii 1706. jussu *Clem. XI.*

4. *Quibûs diebûs licitè possunt absolvi Votivæ?* ℟ Jllîs, in quibus non occurrit aliquod Festum Duplex.

5. *Quando non licet celebrare Missas Votivas?* ℟ *1mò*: In Festo Duplici non solùm *1mæ* aut *2dæ* Classis, sed etiam in Minori Duplici. Ita S. R. Congr. 19. Maij 1614.

2dò: Diebûs Dominicîs & feriis, quæ excludunt Festa *1mæ* Classis Ex Decr. S. R. C. 28. Augusti 1627.

3tiò: Infra Octavam Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi & Nativitatis D. Ex S. R. Congr. 1670. & 1714. 15. Sept.

4tò: In Vigilia Epiphaniæ, Pentecostes, ac Nativitatis D. Ex S. R. C. 10. Decembr. 1718.

6. *Quomodo peccat qui prædictîs diebûs celebraret Votivam?* R. Juxta *Angel.* mortaliter. Secundùm *Bonac.* solùm venialiter, quia Rubricas de Votivis putat esse Directivas tantùm.

7. *Quid faciendum, si plures adsint Votivæ celebrandæ ex legatione?* ℟ Vel debent transferri in aliam diem nō impeditam,

ùt

ùt consulit S. R. C. 9. Decembr: 1634. Vel etiam cantandæ sunt de Festo occurrenti, cum applicatione. Ex Decr. S. R. Congr: 19. Novembr. 1614.

8. *In quibus casibus licitum est Votivas celebrare prædictîs diebûs?* ℟. In publica necessitate, tunc enim licitum est etiam in Dominicis ac Festis Duplicibus Votivas solemniter celebrare, non tamen in Majoribus solemnitatibus, ùt notat *Merati* tom. 1. p. 1. tit. 4.

9. *Qualis ad hoc requiritur necessitas?* R. Juxta S. R. Congr. 19. Maij 1607. requiritur illa, pro qua convenit Clerus cum Episcopo (ubi haberi potest) Vel apud Regulares in eorum Comitiis Generalibus, vel Provincialibus.

10. Receptio ad Habitum & Professionem Relig. sub re gravi numerari non potest. Juxta Decr. S. R. Congr. 24. Julii 1683.

11. Non potest Missa Votiva de Spiritu S. vel alia celebrari etiam ab Episcopo, pro eligenda Abbatissa, in Festo Duplici, vel Dominica. Ex Decr. S. R. Con. 28. April. 1708.

12. *Votiva de B. V. MARIA ob quas causas licitè celebrari potest?* R. Ob istas:

1*mò*: Causâ Voti etiam in Dominica, non

tamen

tamen privilegiata. Ex Decr. S. R. C. 16 Junii 1663 & quidem cum *Gloria* & *Credo.*

2dó: Ratione concursus populi, vel alterius publicæ causæ cum *Gloria* & *Credo.* Ex Decr: S. R. C. 8 Junij 1658 & 1662

3tió: In Sabbathis per Annum ubi adest immemorabilis consuetudo, non obstante Festo Duplici, cum *Gloria* absq; Credo. Ex Decr. S. R. Cong. 2. Decembr: 1684.

13. *Qualis Missa dicenda est in Sabbathis per Annum?* ℞ Pro diversitate temporis una ex quinq; assignatis in fine Missalis, non verò de Conceptione, quia id prohibitum est à S. R. Cong. 30 Septemb. 1679. FF. tamen Minoribus specialiter idem concessit *Innoc.* XII. teste *Merati* in Jndice Decr: tom. 1. n. 458.

14. Qui celebrat Votivam de B. V. MARIA infra Octavam alicujus Festi illius, debet recitare Missam de Octava; in quo die si est Officium Div. de Octava B. V. M. dicenda est Missa cum *Gloria* & *Credo*, si verò de aliquo Festo, absq; *Gloria* & *Credo*, nisi sit in Sabbatho, quia tunc dici debet Gloria. Ex Decr. S. R. Cong. 2. Decembr. 1684.

15. *In qualibus apparamentis Votivæ celebrari debent?* ℟. Si ſint Votivæ *imi* generis, ejusdem coloris paramenta debent habere ſicuti in Feſto eorundem Sanctorum. De Reliquis vide Rubr. Miſsal. XVIII.

16. *Debetne in Votivis dici Gloria & Credo?* R. Si ſint ſolemnes, utiq; debet. Ex Decr. S. R. Cong. 13. Auguſt. 1667. Niſi ſint in paramentis violaceis, tunc enim omitti debet utrumq;. Ex S. R. Congr. 19. Maij 1607.

17. In Votivis B. V. M. ſi non ſint in Sabbatho, non debet dici Gloria, neq; Credo S. R. Congr. 29. Julii 1609.

18. In omnibus Votivis privatis omitti, debet Gloria & Credo, niſi ſint de Angelis aut de S. Michaële, Gabriele, &c. in quibus dicendum eſt *Gloria*, eſt enim Hymnus Angel. quem in medio Paſtorum cecinerunt, ùt ajt *Duran.* lib. 5. c. 13.

19. *Quot Collectæ dici debent in Votivis?* ℟ Plures, nam usq; ad ſeptem protrahi poſſunt. Si tamen Votivæ ſint ſolemnes pro gravi cauſa Eccleſiæ celebratæ, unica in illis Oratio dicenda eſt, exceptâ Votivâ de SS. Trinitate pro Gratiarum actione, in qua duæ Orationes ſub unica cantantur concluſione.

sione. ùt docet *Merati* De Votivis § 8.

20. In Missis Votivis privatis 2. Oratio debet esse de illo de quo fit Officium. 3. verò illa dicenda est, quæ in Missa correspondente Officio 2*dó* locô diceretur, puta simplicis, vel de Beata, aut pro Ecclesia.

21. In Missis B. V. M. 2. Oratio de Officio diei. 3. de Spiritu Sancto, quæ omittitur, si adest commemoratio simplicis.

22. *Debentne Collectæ semper esse impares?* R. Negativè, ùt expressæ statuit S. R. Congr. 2. Decembr. 1684.

23. *Qualis Præfatio dicenda est in Votivis?* R. In illis quæ propriam non habent, dicenda est communis, vel de tempore, puta: Quadragesimalis, Passionis, Paschalis, Vel si celebrabitur infra aliquam Octavam, sit de illa. Ita S. R. Congr. 15. Sept. 1714.

24. Quæ habent propriam Præfationem, dicenda est hæc & non Octavæ, etiamsi sit pro re gravi infra Octavam Nativit. D. aut Ascensionis, in quo casu Præfatio dici debet propria ipsius Votivæ, Communicantes verò de Octava. Ex Decr. S. R. Cong. 16. Junii 1683.

25. *Quando dicendum est in fine Missæ Votivæ:* Benedicamus Domino, *& quando:*

Ite

Ite Missa est? R. Tunc: *Benedicamus*, quando non dicitur; Gloria [quod etiam in omnibus Missis observari debet] Tunc: *Ite Missa est*, quando cantatur Gloria.

26. *Quid de Evangelio S. Joannis sentiendum est?* ℟ In omnibus Votivis tàm solemnibus quàm privatis dici debet in fine illarum.

ARTICULUS III.
De Requiem.

1. *In quibus diebus non licèt celebrare Missas de Requiem?* ℟ Privatas non licèt in omnibus illis, in quibus non possunt celebrari Votivæ.

2. In festis 1mæ Classis non licèt celebrare Missam etiam Solemnem, non obstante quòd sit præsens cadaver. Ex Decr. S R. Congr. 5. Julii 1698.

3. Durante Expositione SS. Sacramenti, non licèt celebrare Missas, tàm privatas quàm solemnes, etiamsi sit festum semiduplex. Ex Decr. S. R. C. 19. Septembr. 1654.

4. Præsente Corpore potest celebrari Missa solemnis etiam in Dominica [non privilegiata) et in Festis Duplicibus quæ non sunt 1*mæ* Classis. Ita S. R. C. 10. Januar. 1693.

5. Regulares ad ſatisfaciendum oneribus, poſſunt celebrare Miſsas de Requiem in alienis Eccleſiis, in quibus celebratur Votiva vel de Requiem, non obſtante quòd in illorum Eccleſiis ſit eô die Feſtum Duplex. Ex Decr. S. R. Cong. 2. Junii 1701.

6. Sacerdotes habentes Officium Semiduplex, aut ſimplex, ſi celebrent in aliqua Eccleſia in qua fiat de Duplici, non poſſunt dicere Miſsam de Requiem. Ex Decr. S. R. Congr. 2. Junij 1701.

7. Miſsa de Feſto currente in altaribus privilegiatis celebrata illîs diebûs, quibûs non licet recitari de Requiem, habet eandẽ vim & indulgentiam, quam haberet de Requiem. *Alex.* VII. in Decr. *Creditæ* 1667.

8. *Quid de Anniverſariis ſentiendum?* ℟ Anniverſaria & aliæ Miſsæ cantatæ de Requiem relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum, poſſunt celebrari etiam in Duplici Majori. Ex Decr. S. R. C. 22. Novemb. 1664. approbante *Alex.* VII. Non tamen Miſsæ Privatæ.

9. Similiter poteſt cantari Miſsa ſolemnis de Requiem etiam in Duplici, cùm *imò* habetur certa notitia de obitu alicujus. 4. Maij 1686. In quo caſu Miſsa dicenda eſt

ut

ùt in die Obitûs Juxta *Gavant.* & *Merati* tit. 5.

10. *Quid si Anniversarium incidat in Dominicam?* ℟ Debet anticipari, aut transferri in diem proximè sequentem. Ita *Gavat.* & cum illo *Merati* tit. 5.

11. *Qualis Missa legi debet in translato Anniversario?* ℟ Prout in Anniversario ex Decr. S. R. Congr. 5. Julij 1698. In quo casu illa verba in Oratione: *Cujus anniversarium depositionis diem commemoramus*, Non sunt omittenda. Ex Decr. S. R. Con. 4. Maij 1688.

12. *Cui applicari debet Missa in Commemoratione OO. Defunctorum?* ℟ Ad libitum Sacerdotis applicare pro OO. Fidelibus Defunctis. Vel pro aliquo tantùm. Ex Decr. S. R. Congr. 4. Aug. 1663. Si moriatur hâc die aliquis, Missa ùt in die Obitûs pro illo celebrari debet.

13. *Quot Collectæ dici debent in Missis Defunctorum?* ℟ Si sint solemnes, unica tantùm recitari debet conveniens conditioni Personæ. Si verò sint privatæ, dicendæ sunt tres, quarum 1*ma* erit conveniens illi pro quo fit Missa, 2*da* ad libitum Sacerdotis, 3*tia* Fidelium.

14. Quando una dicitur Oratio, tunc debet dici post Epistolam: *Dies iræ*, in privatis verò ad arbitrium Sacerdotis, ùt patet in Rubr. n. 4. p. II. Porro Missa solemnis debet dici in Commemoratione OO. Fidelium Defunctorum. In die Obitûs, Depositionis, Anniversaria & quandocunq; una Oratio dicitur.

15. *Quid adhuc notandum est circa Ritum Missæ de Requiem?* ℟ Omittenda sunt illa quæ enumerantur in Missali circa finem Rubricæ Missalis.

16. *In quali colore celebrandæ sunt Missæ de Requiem?* ℟ In colore nigro, vel saltim violaceo. Ex Decr. S. R. Congr. 21. Junij 1670.

Quia autem Missam de Requiem sæpiùs comitatur sepultura, ideoq; ùt habeatur aliqua de ipsa Doctrina, sit:

ARTICULUS IV.

De Sepultura.

1. *Ubi Fideles sepeliri debent?* ℟ In suis Ecclesiis Parochialibus, si alibi non habent constitutum sepulchrum suorum Majorum. Vel si alibi sibi non elegerint.

2. *Tertiarii non Claustrales Ord. S. P.* Fran-

Francisci ubi sepeliri debent? ℟ Si sint induti habitu, sepeliendi sunt in Ecclesia FF. Minorum, nisi oppositam voluntatem habuerint, & possunt deferri corpora discooperta. Ex Const. *Pauli* V. in Bulla quæ incipit: *Cum inter Fratres.*

3. *Qualem consequuntur gratiam sepulti in habitu S. P. Francisci?* ℟ Ex concessione *Leonis* X. in Bulla: *Notum facimus.* consequuntur plenariam remissionem culpæ & pænæ. Quam gratiam confirmavit *Benedictus* XIII. in Constitutione: *Summè decet.* 1727.

4. *Regularium exemptorum sæculares tam servitiales quàm commensales ubi sepeliri debent?* ℟ In Ecclesia eorundem Regularium etiam invitô Parochô si decesserint in Ecclesia, vel domo eorundem, neq; voverint alibi sepeliri. Ex Concess. *Clem.* IV. & *Bened.* XIII. Constit. *Pretiosus in conspectu.* Quinimo etiam si repentè moriantur extra claustra, dummodo actu sint servi, possunt deferri ad Ecclesiam illorum Regularium, quorum sunt servi, præsente tamen Parochô. Ex Const. *Innoc.* XXII.

5. *Debetne Parochus adesse quoties defertur ad Regulares sepeliendum Corpus?*

℟

℞ Affirmativè, si tamen venire noluerit, vel absq; ratione justa, ex malitia assistentiam distulerit, potest Cadaver deferri etiam absq; illo. Ex Decr. S. C. Card. 11. Decemb. 1615. Quod novissimè confirmavit *Bened.* XIII. Con. quæ incipit *Pretiosus* § 7.

6. *Quid ulterius observandum circa Sepulturam apud Regulares habitam?* ℞ Hæc sequentia:

I. Quando comitante Parocho defertur Corpus ad Regulares, Officium Defunctorum & alias Ceremonias in Ecclesia eorum non Parochus, sed ijdem Religiosi absolvere debent, nisi dederit licentiam Superior loci. Ita decrevit S. Congr. 21. Novemb. 1637. annuente *Alex.* VII. *Clem.* IV. & *Sixto* IV.

II. Pro Cadaveribus apud Regulares sepeliendis non licet Parochis plùs exigere, quàm si in eorum Ecclesiis sepelirentur. S. Cong. Episcop. Reg. 18. Januar. 1672.

III Quartam partem Funeralium à nobis FF. Minoribus Parochi recipere non possunt. Ex Constit. multorum Pontificum, novissimè *Pij* V. *Et si Mendicantium.* quam confirmavit *Bened.* XIII. in Constit. *Summè decet* 1727.

IV. D. Parochi non possunt ultra opportunum tempus corporis delationem ad Religiosos retardare, nisi priùs illis solvatur ab Executoribus pro Sepultura. Ita S. Congr. Card. 22. Maij 1615.

7. *Licitumne est Religiosis inducere persuasionibûs morientes ùt in illorum Ecclesiis voveant sepeliri?* ℟ Non licet, hoc enim sub anathemate vetuit *Bonif.* VIII.

8. *Possuntne Religiosi esse Executores testamenti?* R. FF. Minores non possunt, in quo neq; à suis Superioribus dispensari queunt. Ex *Clem. Exivi.* Possunt tamen dare consilium in exequendis testamentis, ùt ibi conceditur.

9. *Quàm citò post mortem sepelienda sunt Cadavera?* ℟ Saltìm post 12. horas ab obitu, quî autem repentè mortui sunt, non nisi post 24. horas ab obitu sepeliri debent. Ita Theatrum Regul. tit. *Exequiæ* n. 2.

10. *In quo loco sepeliri debent corpora?* ℟ Omnino infra superficiem terræ; non autem in muro parietis. Ex Const. *Pij* V. in Bulla: *Cum primum.* Item non debent sub altari sepeliri, aut ejus scabello, sed inter scabellum altaris & ostium sepulchri debet mediare adminùs trium cubitorum locus. Ita Can. *Præcipiendum* 13. q. 2.

11. *Qui sunt indigni Sepulturâ Ecclesiasticâ?* ℞ Sequentes: 1. Excommunicati Majorî Excomm: 2. Hæretici, & eorum fautores, receptores, ac defensores. 3. Non baptizati, ùt sunt Pagani, Judæi, & infantes absq; baptismo morientes, etiam si sint Parentum fidelium. 4. Negligentes Paschalem Confessionem & Communionem, 5. Decimas non reddentes. 6. In duello decedentes. 7. Seipsos occidentes. 8. Religiosi proprietarii. 9. Usurarii. 10. Omnes qui in peccato mortali absq; pænitentia mori certò sciantur.

12. Omnes prædicti solùm tunc privantur sepulturâ, quando ante mortem de suo scelere pænitentiam non egerunt, ùt docetur in Can: 6. *De Consecr: Ecclesiæ.*

13. *Quam pænam incurrunt, qui scienter prædictos sepeliunt?* ℞ Ipsô factô Excommunicationem incurrunt, ùt habetur in *Clem:* I. de Hæreticis. Non tamen illam incurrunt qui decedentem in peccato mortali aut infantem non baptizatum sepeliunt, quia tales non exprimuntur in jure *Clem.* I. lex autem pænalis non est extendenda ultra casus & personas in jure expressas.

14.

14. *Quando possunt licitè exhumari cadavera sepulta?* ℟ In his casibus:

1mò: Quando perpetuæ Sepulturæ non sunt adhuc tradita, sed tantùm deposita in aliqua Ecclesia, Capella, vel Cripta.

2dò: Dùm exigit Capellæ renovatio.

3tiò: Quando sunt sepulta contra voluntatem testatoris, tunc enim debent exhumari, & reddi illi Ecclesiæ, pro qua est testamentum, vel testes. Ex Decr. San. Congr: Episcop. 31. Octob: 1640.

In alijs autem casibus licitè exhumari non possunt abq; expresso Episcopi consensu, etiamsi Judex sæcularis pro recognitione corporis petat illius exhumationem, eò quòd magna suspicio existat de morte violenta defuncti. Ita statuit S. Congr. Episcop: 11. Septemb: 1643.

15. *Quomodo Cadaver poni debet in feretro?* ℟ Si est Sacerdotis, debet poni capite versùs Altare, si verò Laici, tunc pedibûs ad Altare, capite autem versùs ostium templi. Ex *Cerem: Episc*: supra § 15.

16. *Quomodo fieri debet Absolutio super cadaver, seu ad feretrum?* R. Præsente cadavere, antequam Cantores intonent: *Libera me Domine*, Sacerdos celebrans debet

inci-

incipere precem illam: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine*, quæ immutata manet, etiamsi defunctus sit fœmina, vel plures, non debet propterea dici: cum Serva, vel: cum servis tuis Domine. Ex Decr: S. R. Cong. 31. Aug: 1697.

17. *Quæ Oratio dicenda est in absolutione ad feretrum?* ℟ Jlla, quæ fuit in Missa. Ita *Bissus* n. 45. & *Merati* p. 2. tit. 13. quæ terminari debet breviter: *Per Christum Dominum nostrum.*

Deindè dictô per Cantores: *Requiescant in pace*, subjungi debet: *Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum &c.* Sed in Commemor: OO. Fidelium Defunctorum nil est superaddendum. S. R. C. 2. Decemb. 1684.

18. *Quid observare debet Celebrans dum circuit feretrum?* ℟ Hæc duo:

1mò: Incensatô vel aspersô dextrô latere, genuflectet coram V. Sacramento si aderit in tabernaculo. Postea profundam inclinationem faciet Cruci, quam tenet Subdiaconus, Diaconus verò assistens genuflectere debet etiam coram Cruce. *Ex Cerem. Episc.* supra § 18.

2dò: Si elevetur in aliquo Altari S. Hostia, non

non debet genuflectere si in latere feretri thurificat.

Cætera de absolutione facienda ad feretrum, nempe: quomodo standum, incensandum, &c. vide Rubr: Missalis circa finem Rubr: n. 4. Vel in Missali Defunctor: circa finem Missalis.

ARTICULUS V.
De Loco & Tempore Sacrificii Missæ.

1. *Quis est Locus conveniens Sacrif. Missæ?* ℟ De jure communi, est Ecclesia vel alius locus consecratus, aut saltim legitimâ authoritate benedictus, ad D. cultum deputatus ùt mandat *Trid.* ses. 22.

2. *In quibus locis illicitum est celebrare Missam?* ℟ In his sequentibus:

1mò: In illis altaribus, sub quibus humata sunt corpora defunctorum. Ex Decr: S. Cong Episcop. 1594.

2dò: In navibus, in quibus est periculum effusionis sanguinis D. Ex Decr. S. Congr. Card. 1633.

3tiò: In Ecclesiis violatis, sed usq; tunc, quando divulgata est violentia. ùt notat *Laym.* c. 5.

4tò: In Ecclesiis interdictis.

5tò: In locis privatis. Ex *Trid.* ses. 21. & *Clem.* XI. 15. Decemb. 1703.

3. *Habentne aliquod Privilegium quò ad hoc Regulares?* R. Affirmativè. Nos FF. Minores habemus ex Constit. *Sixti* IV. in Bulla quæ incipit: *Regimini* tenor Bullæ: *Concedimus iisdem Fratribus, ut non solùm in Oratoriis & locis, in quibus degunt, sed etiam in quovis alio loco congruenti & honesto, possint super altari portatili hujusmodi Missas & alia D. Officia celebrare.* Quod Privilegium aliqui volunt esse revocatum à Trid. Alii verò negant, ex quibus est *Diana*, *Salas*, *Rodriq*, &c.

PP. Societatis JESU post Trid. à *Greg.* XIII. sunt privilegiati, ut in quovis loco decenti celebrare possint.

4. *An possunt Episcopi dare licentiam Sacerdotibus celebrandi Missam in locis privatis?* R. Affirmativè, ex justa tamen causa, ùt mandat *Trid.* Vel quia Persona ægrota domi jacet. Vel quia longè distat ab Ecclesia.

5. *Quamdiu durat Privilegium Oratorii privati datum absq; limitatione?* R. Usq; ad mortem privilegiati, neq; cessat mortuô

tuô Papâ, qui concessit, vel Episcopô qui designavit, ùt docet *Sanch. Tamb. La Croix.* l. 6. p. 2. n. 267.

6. *Quid si privilegiatus mutet suum Domicilium?* R. Talis secum fert privilegium Papæ, quia est Personale, si tamen mutet domicilium in aliam Diœcesim, requirenda est approbatio Ordinarii loci, ùt docent communiter DD. cum *Diana* p. 9. t. 1. R. 7.

7. *In Oratoriis privilegiatis possuntnè plures celebrari Missæ?* ℟. Si addatur in privilegio ly: *ùt una tantùm* celebretur Missa, non possunt sub mortali, ob graves prohibitiones *Trid.* & *Clem.* XI. Neq; excusat à peccato, si altera Missa clausîs januîs celebretur, quia est prohibitio propter locum, non personas.

8. *Audientes Missam diebûs festivîs in tali privilegiato loco, utrum satisfaciunt præcepto Ecclesiæ de audienda Missa?* ℟. Si sint de familia privilegiati utiq; satisfaciunt, non verò si sint forenses, aut hospites, ùt patet ex Decr. *Clem.* XI. quod incipit: *Nonnulli.* 1703.

9. Nomine autem familiæ intelliguntur illi, qui habitant in domo privilegiati cum

quadam habitudine ad illum.

10. *Licetné omni tempore celebrare in Oratoriis Secularium?* R. Negativè. Sunt enim aliqua solemnia festa excepta à San. Congr. 17. Novembr. 1607. confirmante *Clem.* XI. in quibus ad Ecclesiam etiam privilegiatus tenetur ire.

11. *Quæ sunt illa festa?* R. Hæc: Festum Nativitatis D. Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Annuntiationis, Assumptionis, Apostolorum Petri & Pauli ac OO. Sanctorum; & omnia illa quæ in Indulto excipiuntur.

12. *An omnes tres dies Paschatis & Pentecostes sunt exceptæ?* R. Negativè, sed sola prima dies excipitur juxta *Quarti* dub. 9.

13. Nota tamen, quòd si tale Oratorium conceditur alicui personæ propter infirmitatem ejus; nulla dies excipi debet, quia aliàs ille infirmus in maximis solemnitatibus omnî solatiô spirituali privaretur.

14. Hìc venit adnotare, quòd in suspensione Indulgentiarum tempore Jubilei, non comprehenduntur Altaria privilegiata, nec aliæ Indulgentiæ pro solis defunctis. San. Cong. 24. Januarii 1700.

TEMPUS.

15. *Quod est Tempus celebrandæ Missæ?* R. De jure communi est illud, quod incipit ab Aurora, & durat usq; ad meridiem inclusivè.

16. *Habentné aliquod Privilegium quò ad hoc Regulares?* R. Affirmativè, nam FF. Minores ex Concessione *Leon.* X. & alii Mendicantes possunt licitè celebrare Missam post mediam noctem, usq; ad horam tertiam pomeridianam inclusivè, ex rationabili tamen causa. Quod privilegium docet non esse revocatum per Trid. *Sannig.* l. 3. Decret. tit. 41.

17. *Potestné aliquando Sacerdos anticipare Missam seclusô etiam privilegiô?* ℟ Potest, si necessitas expediat ùt docent communiter DD. cum *Pasqu.* q. 409. Hæc autem necessitas potest esse vg. Iter imminens ipsius Sacerdotis, aut populi. Necessitas verò expectandi post meridiem cum Missa potest esse, vg. prolongata devotio, eò, quia Missa solemnis aut concio diu durat.

18. *An potest in die Nativitatis Sacerdos absolvere omnes tres Missas simul post mediam noctem?* ℟ Negativè, id enim vetuit San. R. Congr. 20. Aprilis 1664. & 7. Decembr. 1702. jussu *Clem.* XI. ubi etiam prohibet communicari fideles.

19. *Quænam observari debent circa Missam in Festo Nativitatis?* R. Hæc sequentia.

1mò: Dum celebrans transit in prima vel secunda Missa post sumptionem Sacramenti, non debet flectere, etiamsi species vini consecrati non sint exsiccatæ. Ex Decr: S. R. Congr: 2. Aug. 1698.

2dò: Si non simul omnes Missas absolvit, debet potiùs calicem ad Sacristiam deferre, quàm in altari relinquere, ubicunq; tamen calix positus sit, semper debet habere suppositum corporale. Ita *Merati* p. 4. tit. 3.

3tiò. Tres Missas celebrare privilegii est non præcepti; unde nec Parochus tenetur omnes tres absolvere. Ita *Gavant. Bonac.* d. 4. q. ult. & alii.

4tò: Si unam vult celebrare, debet convenientem tempori legere, nempe: si in nocte, primam; si in aurora, secundam; si verò de die, tertiam.

20. *Ad quid tres Missæ celebrantur in die Nativitatis?* R. Propter Mysterium trinæ Nativitatis Christi D. qui 1mò: natus est ab æterno ex Patre. 2dò: In tempore ex MARIA V. 3tiò: Per gratiam nascitur in nobis quotidiè. Hanc autem trinam Missam insti-

instituisse legitur Telesphorus Papa A. 126.

ARTICULUS VI.

De Dispositione Sacerdotis ad Missam.

1. *Quid est Dispositio Sacerdotis ad Sacrif. Missæ?* R. Est: Quædam præparatio animæ & corporis ad dignè & licitè absolvendum tam sublime Officium.

2. *Quotuplex est hæc Dispositio?* R. Præcipua ac principalis est: Gratia Sanctificans, & interna quies.

4. *Quot peccata committit, qui in peccato mortali sacrificat?* R. Secundùm aliquos duo: 1*mum*: quia in pecato conficit Sacramentum. 2*dum*: quia communicat in peccato. Juxta alios autem unum committit æquivalens duobus.

2. *Prudenterné fecisset ille, qui necessitate coactus ad celebrandum fingeret se consecrare coram populo, timendo ne Sacrilegium committat, eò; quia in mortali existit?* R. Quòd talis gravissimè peccaret, & quidem graviùs, quàm si in peccato consecraret, quia & Sacramento inferret injuriam, & populo fraudem. Tum quia in tali casu deberet potiùs elicere actum contritionis

cum proposito illud confitendi, ùt docet *Trid.* ses. 13.

6. *Quot sunt Dispositiones Corporis* R. Tres potissimùm numerantur:

1ma est: Ne Minister sit ægrotus, ita; ut ex ejus infirmitate sequatur irreverentia Sacramento, tales morbi sunt: Vomitus, morbus caducus, tussis frequentissima &c.

2da est: Jejunium, & quidem naturale, ita: ut à media nocte nihil etiam modicum per modum cibi aut potûs sumatur.

3tia: Mundities Corporis.

7. *Ad quid Ecclesia requirit Jejunium?* R. Propter tria: 1. Ut vitetur periculum ebrietatis, & vomitûs. 2. Ut citiùs corrumpantur species in jejuno stomacho. 3. Ut primò quæratur spiritualis cibus, juxta illud *Mat.* 6. *Quærite primò Regnũ Dei, &c.*

8. *Licetné Sacerdoti aliquando non jejuno Eucharistiam sumere?* R. Affirmativè juxta V. Scotum in 3. d. 8. q. 3. in his casibus.

1mò: Quando deberet dari infirmo Viaticum, & non esset Eucharistia consecrata, tunc Sacerdos etiamsi non jejunus potest Sacrificium celebrare ùt poscenti Viaticum tribuat.

2dò: Si in sumptione *2dæ* speciei repe-

rirer

tiret aquam non vinum, tunc ad complendum Sacrificium deberet iterum vinum consecrare & consumere, non obstante quòd non sit jejunus.

3*tiò*: Quando post sumptam ablutionem advertit Celebrans adhuc superesse quasdam reliquias hostiæ consecratæ, quas tamdiu potest sumere, quousq; ab altari non recedat, quia ùt docent Rubricæ: *Reliquiæ illæ ad idem Sacrificium spectant.*

4*tò*: Si post factam Consecrationem Celebrans sit morbô aut morte præventus, tunc alius etiam non jejunus tenebitur easdem consumere species.

5*tò*: Dum timetur aliqua inferri irreverentia Sacramento.

6*tò*: Dum post Consecrationem recordetur Sacerdos se non esse jejunum.

9. *Qualis munditia corporis requiritur ad Sacrificium Missæ?* R. Non solùm illa, quæ habetur per lotionem ipsius corporis, sed etiã quæ excludit pollutionem nocturnã.

10. *Quotuplex est Pollutio?* R. Juxta D. *Bonav.* in 4. d. 12. p. 2. Art. 3. q. 3. est quadruplex.

1*ma*: Habetur ex turpi cogitatione, colloquiis, vel crapula.

2da: Provenit ex diabolica illusione.

3tia: Oritur ex superfluitate naturæ, in qua sentitur inordinata delectatio.

4ta: Habetur ex infirmitate.

10. *Quæ ex his impedit celebrationem Sacrificii Missæ?* R. Prima, Secunda, & Tertia: quia hæ pollutiones sunt conjunctæ cum immunditia animæ, vel saltim dubitatur, & ideò per illas maculatus censetur esse immundus, consequenter à Sacrificio Missæ abstinere debet, ùt docent Rubricæ Missalis Tit. *De Defectibus* c. 9. nisi certò constet non adesse in illis peccatum mortale.

11. *Qualis est Obligatio Sacerdotis ante Missam dicere Præparationem?* R. Nullum quò ad hoc esse præceptum docent communiter DD. solùm enim pro opportunitate temporis Orationes illæ sunt dicendæ.

12. *Quale est peccatum omittere Orationes inter induendum?* R. Aliqui putant esse mortale, ùt *Navar. Gavant. Sylv.* Alii autem probabiliùs docent esse veniale, ùt *Henriq. Rodriq. Castrop. Aversa. Gob.* n. 387. Alii tandem nullum agnoscunt peccatum, putantes quò ad hoc Rubricas esse tantùm directivas. Ita *Tamb.* & *Quarti* dub. 8. *Pasq* q. 819. Veniale tamen rectè cum communiori arbitratur.

13. *Quâ necessitate lotio manuum ante Missam præmitti debet?* R. Ad summùm sub veniali, multi docent cum *Diana.* p 1. t. 12. R. 19. Post Missam autem non lavare manus, ne quidem veniale est, *La Croix.* l. 6. p. 2. n. 413.

ARTICULUS VII.

De Requisitis ad Missam.

1. *Quæ sunt Requisita ad Missam?* R. Sunt illa, sine quibus illicitè vel saltim indecenter absolveretur Sacrificium Missæ. Hæc autem Requisita sunt: Vestes, & Vasa Sacra, Altare, Lumina, Crux &c.

2. *Quotuplices sunt Vestes Sacræ?* R. Duplices: Majores & Minores. Majores sunt Alba, Stola & Planeta. Minores autem sunt cætera vestimenta.

3. *Quale est peccatum celebrare sine vestibus?* R. Est peccatum mortale, si omittantur vestes Majores, vel aliqua illarum juxta *Merati* p. 2. tit. 1. Veniale autem si ex Minoribus desit aliquod. In casu tamen necessitatis licèt uti cingulô non benedictô, vel stolâ pro manipulo, aut è contra. ùt docet *Laym.* l. 4. t. 5. c. 6.

4. *A quo benedicendæ sunt S. Vestes?* R.

Ab Episcopo, vel Sacerdote habente privilegium.

5. Prælati Mendicantium habent potestatem benedicendi Vestes, & Vasa Sacra pro suis Ecclesiis, ubi unctio Chrismatis non intervenit. Ex Decr. S. R. C. 18. Aug. 1629.

6. Generales, Provinciales, & Guardiani Ordin. Minor. possunt Ordinis sui Ecclesias, & Oratoria, paramenta, ornamenta, Pixides Melchisedech, & alia ad D. Cultum spectantia solemniter benedicere, ubi unctio Chrismatis non intervenit. Item Ecclesias & Cæmeteria polluta possunt reconciliare aquâ à seipsis benedictâ, dum Episcopus distat 10. milliaribûs Polonicîs; si verò non distat, debent ab illo petere gratiam reconciliandi, vel saltim aquam benedictam, quæ debet esse ex sale, cinere, vino, & aqua. Ex privil. *Leonis* X, Const. quæ incipit: *Religionis suadet honestas.* Quam gratiam novissimè confirmavit *Benedictus* XIII 1727. in Const. *Summè decet.*

7. *Possuntne prædicti Superiores benedicere paramenta etiam pro extraneis Ecclesiis?* R. Probabiliùs posse, ùt docet *Tamb.* d. 22. *Sporer.* n. 411. Tum quia *Pius* V. legitur concessisse hanc gratiam 1571. 25. Julii.

Et

Et *Gregor.* XIII. Const. *Exposcit* 1575. Concessit Prælatis SSS. Trinitatis cum quibus nos communicamus ex Const. *Bened.* XIII.

8. *Quando amittunt benedictionem Vestes ac Vasa Sacra?* ℟ Tunc, quando ita lacerantur, aut franguntur, ùt ampliùs inservire non possint ad usum, ad quem sunt benedicta, juxta *Gob.* n. 367. & alios DD. Hinc cingulus ruptus, si secundùm aliquā partem possit cingere, non amittit benedictionem in illa parte, cui pro commoditate altera pars insufficiens ad cingendum poterit innodari ùt docet *Pasq.* q. 806. & alii.

9. *A quibus licitè possunt tangi Vasa?* Si actu non contineant Euchar: possunt licitè tangi à Clericis tonsuratis. Laici autem Ordinis Mendicantium pro tunc licitè S. Vasa tangere possunt, dum Sacristæ funguntur Officiô juxta *Sporer.* n. 404. *Sixtus* tamen IV. indistinctè omnibus concessisse legitur.

10. Laici Sæculares si absq; rationabili causa, sed ex sola levitate tangant corporalia, vel Calices, veniale ad summum committunt, juxta *Pasq.* q. 838.

11. *Quot sunt Colores Vestimentorum?*

℟

℟ Quinq; Albus, Rubeus, Viridis, Violaceus, & Niger.

12. *Sub quali peccato Rubrica obligat ad colores Vestimentorum?* ℟ Ad summum sub veniali, hinc in defectu, potest Sacerdos uti stolâ alterius coloris à manipulo, aut casula.

13. *Nota:* quòd Exteri celebrantes Missam in Ecclesiis Regularium, debent adhibere eundem colorem, quô utuntur prædicti Regulares. Ex Decr. S. R. Congr. 11. Junii 1701.

14. *Quali cingulô uti debet Sacerdos in Missa?* ℟ Congruentiùs utitur lineô quàm sericô. Ex Decr. S. R. Cong. 22. Januar. 1701.

15. In defectu cinguli benedicti, licitum est non benedictum adhibere, aut alium funiculum, vel stolam. Ita *Laym.* l. 4. t. 5. & Diana ℟ 57.

16. *Quale corporale adhiberi debet in Sacrif. Missæ?* ℟ Omninò lineum saltim quò ad illam partem quâ hostiam & calicem tangit, in extremitatibus verò potest esse sericum, vel aurô elaboratum.

17. Peccare mortaliter Sacerdotem, qui utitur immundo Corporali docet *Gavant.* p. 2. t. 1. 18.

18. Non est benedicendum Corporale post lotionem, nisi notabiliter rumpatur. *Bonac.* d. 4. q. ult.

19. Corporale debet conservari in Bursa; nam extra Bursam illud portare [ajt *Gavant.* p. 2. & cum ipso *Merati*) indiget dispensatione Apostolicâ, prout *Pius* V. cum Hispanis dispensavit. *Sporer* verò n. 400. nullam hujus necessitatem agnoscit.

20. Mortale est, nullum habere Corporale, aut uti non benedictô. *Pasq.* q. 790. Si tamen consecraretur in non benedicto, jam èó ipsò benedictum foret.

21. *Palla qualis esse debet?* R. A parte illa quâ tegit calicem, non debet esse serica sed linea. S. R. C. 22. Januar. 1701. Mortale putat *Suarez* celebrare sine Palla, veniale autem judicat *Sotus* & *Rodriq.* In defectu potest loco Pallæ adhiberi Corporale, vel purificatorium, vel etiam Bursam ùt docet *Sporer.* n. 398.

22. *Quale Purificatorium Sacerdos adhibere debet in Missa?* R. Omninò lineum, quod adesse debet sub veniali, & in defectu illius aliud strophiolum mundum, quia purificatorium non requirit benedictionem, ùt notat *Suar. Gavant.* & alii.

23. Celebrare sinè velo calicis si haberi non potest, nullum est peccatum. *La Croix* l. 6. p. 2. n. 330. nam velum, & manutergium, requiruntur solùm ob decentiam.

24. *Qualis calix & Patena requiritur?* ℟ Sub mortali requiruntur consecrata, ùt omnes DD. concedunt. Item debent esse ex auro, vel argento, aut saltim ex Stanno, ùt patet ex Rubr. Missalis. *De Defect.* § 10. Aliqui apud *La Croix* l. 6. p. 2. n. 308. admittunt ex plumbo, non tamen ex ære. Ex quo patet, quòd Calix Ruthenorum stanneus in casu necessitatis est sufficiens ad celebrandum.

25. *Quale Altare requiritur ad Missam?* R. Debet esse stabile, vel portatile, utrumq; ex integro lapide, sub mortali ab Episcopo vel Abbate benedictum.

26. Portatile debet esse tantæ magnitudinis, ùt commode posset capere calicem cū patena, ac hostias parvas, quæ omninò saltim tempore consecrationis in portatili adesse debent, quia omnes sunt unica victima, & per modum unius offeruntur, ùt monet *Merati* Tom. 1. p. 2.

27. Si lapis consecratus frangatur in duas partes, quarum utraq; apta sit sustentare hosti-

hostiam & calicem, secundùm communem sententiam non amittit benedictionem, & servire potest pro duplici ara, totus enim lapis consecratus est, & quia partes divisæ non amittunt usum ac finem, non est ratio cur illorum desinat consecratio. *La Croix* l. 6. p. 2. n. 301.

28. *Qualis Mappa in Altari ponenda est?* R. Juxta Missale jussu *Clem.* VIII. & Pii V. editum, debet esse linea & triplex. Potest tamen una triplicari ùt advertit *Sa. Laym.* l. 5. t. 5. c. 6. Non est autem necessarium ùt sit omnino benedicta, sed in necessitate vulgaris adhiberi potest. *Laym.* loc. cit.

29. *Quâ necessitate requiritur lumen ad Missam & quale?* R. Sub mortali illicitum est absq; lumine celebrare, ùt docet communis sententia.

30. Sub veniali prohibentur candelæ ex sævo, dum possunt commodè haberi ex cera. *Pasq.* q. 726.

31. Similiter sub veniali adhiberi debet duplex lumen; unde extinctâ unâ candelâ, non est sistendum donec accendatur. *La Croix.* n. 392.

32. Juxta *Quarti* nec sub veniali requiritur lumen tempore Evang. S. Joannis,

quia

quia jam finitum est Sacrificium, dum dicitur: *Ite Missa est.*

33. *Quomodo Crux est necessaria in Altari, tempore Missæ?* ℟ Sub veniali, ùt docent communiter DD. contra Aversam.

34. *Estne necessaria Crux in illo Altari, in quo est Statua Crucifixi?* ℟ Non est necessaria si commodè ob oculos Sacerdotis haberi potest prædicta Statua. Ita decrevit S. R. Congr. 4. Augusti 1663. *In Altari, in quo adest magna Statua Crucifixi, non est necesse ut ponatur alia Crux, dum celebratur Missa.*

Est autem necessaria, quamvis sit expositum SS. prout mandavit S. R. C. 24. Maji 1707.

SECTIO III.

De Ceremoniis Sacrificii Missæ in Communi.

ARTICULUS I.

De Modo celebrandi Sacrificium Missæ.

1. *Quomodo potest Sacerdos legere accuratè Missam?* R. Tunc, si attentè leget Rubricas & Expositores super illas, &

qui-

quidem in principio sui Sacerdotii, nam si pro tunc negliget dum est Neo Presbyter, nunquam postea addiscet, eò quia malè asvescet.

2. *Quomodo legi debet Missa?* R. Juxta Eman. *Sa.* legenda est cum *A. B. C. D.* id est: Altè, Breviter, Clarè & Devotè.

3. *ALTE Quotuplici voce Missa recitari debet?* ℟ Triplici: Altâ, Mediâ & Submissâ sivè Secretâ.

4. Altâ voce dicuntur in Missa illa omnia, quæ cantantur à Celebrante.

5. Mediâ voce, id est nec omninò altâ, nec submissâ dicuntur omnia à principio Missæ usq; ad Canonem. Et in Canone eadem voce dici debent illa verba: *Nobis quoq; peccatoribus*, & *Domine non sum dignus*, ùt excitetur populus ad devotionē.

6. Submissâ voce seu Secretà, totus Canon dici debet, juxta *Merati* & alios.

7. Qui recitat altè, quæ submissè dici debent, peccat mortaliter si verba audiantur ad 40. passus, ùt omnes DD. judicant Ratio hujus data est superiùs p. 243. n. 19. Venialiter autem peccat legens illa submissè, quæ altè recitari debent *Pasq.* q. 231.

8. *BREVITER. Quamdiu Sacrificium*

Missæ

Missæ durare debet? R. Privata Misſa ſaltem mediâ horâ & non diutiùs prolonganda eſt, ne faſtidium audientibus pariat. Ita Synodus Colon. 1652. pag. 91. Minorî autem ſpatiô quàm 20. minutîs Sacrificium Miſsæ non eſt abſolvendum, prout præcepit *Innoc.* XI. Nam ſummè dedecet feſtinare in Sacrificio Miſsæ, taliter enim Celebrans, putat ſe perditurum tempus ad Aram, quod poſt Miſsam otiô aut inutilibûs conſumit fabulîs.

9. Si quando expediat ſolitò citiùs abſolvere Miſsam, cavendum eſt Sacerdoti, ne feſtinet in illis, quæ fiunt publicè, nempe in genuflexionibus, converſionibus ad populum, &c. quia ſic populus ſcandalizatur; ſed potiùs in tali caſu, abbreviari illa debent, quæ ſecretò dicuntur, ùt ſunt Memento, particulares affectus &c.

10. *CLARE. Quàm clarè debet recitari Miſſa?* ℟. Ita, ùt ſeipſum Sacerdos audiat, quia aliàs peccaret mortaliter, juxta plures DD. citatos apud *Dianam* p. 2. t. 12. R. 9.

11. *DEVOTE. Qualis devotio requiritur in Sacrificio Miſſæ?* ℟. Major quàm in Div. Officio, cùm ſit opus longè præſtanti-

stantius. Hinc graviter peccant, qui consultò à latere prætereuntes aspiciunt, vel dum convertuntur ad populum, quia tales ex objecto maximam distractionem accipiunt, ratione cujus sibimetipsis periculum erroris pariunt.

12. *Licitumne est Celebranti sub longo cantu ad Gloria vel Credo particulares Orationes recitare?* R. Affirmativè, meliùs enim est pro tunc orare, quàm otiosîs cogitationibûs vagari. Ita *Cajet. Gob.* n. 763.

13. *Quomodo peccat Sacerdos distractus in Celebratione Missæ?* ℟ Si sit Distractus extra Canonem, solùm peccat venialiter, etiamsi longo tempore duret distractio, juxta *Tamb.* de Sacrif. Missæ l. 2. c. 3. Si verò sit distractus in Canone, peccat mortaliter juxta eundem *Tamb. Gob.* & alios, saltem ob periculum erroris. Quod si nullum adsit, veniale solùm judicant *Diana. Quarti.* & alii.

14. *Quomodo Sacerdos vitare potest distractiones?* ℟ Debet applicare animum ad verba quid significent literaliter vel mysticè.

15. *Quotuplex est significatio verborum in Missa?* R. Duplex; Literalis & Mystica,

quæ

quæ etiam in Div. Offic. considerari potest.

17. *Literalis* est illa: quam verba immediatè important.

18. *Mystica* est illa: quæ sub rebus significatis per verba quasi sub velamine & figura concluditur. Et hæc aliter vocatur *Arcana* & *Spiritualis*.

19. *Quotuplex est Mystica significatio?* R. Triplex: Tropologica, Allegorica, & Anagogica.

20. *Tropologica* seu Moralis, refertur ad formationem vitæ aut morum.

21. *Allegorica* exprimit aliquod mysterium, sub figura vel metaphora rei significatæ per verba.

22. *Anagogica* refertur ad ea, quæ sunt æternæ felicitatis. Quæ omnes hîs versibûs explicantur:

Litera gesta docet, quid credas Allegoria.
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

ARTICULUS II.
De Ritu Celebrandi Missam.

1. *Quam Missam Sacerdos celebrare quotidie debet?* R. Jllam, quæ concordat cum D. Officio, quod illâ die recitavit, ùt à Rubrica præscribitur, nisi Votivam aut de Requiem celebraturus sit.

2.

2. Misſæ certis Regularibus conceſsæ, non poſſunt ab aliis celebrari, etiam in ipſorum Regularium Eccleſiis. Ex Decr: S. R. Cong. 19. Novembr. 1622.

3. Communicatio ampliſſima privilegiorum unius Religionis. cum alia, non ſe extendit ad Officia Sanctorum, conſequenter neq; ad Miſsas. S. R. C. 16. Septemb. 1679.

4. Licitum tamen eſt cuicunq; Sacerdoti celebrare Miſsam ſecundùm publicum illius Eccleſiæ Officium, in qua celebrat, quamvis diſcordet ab Officio quod ipſe recitaverat, propter conformitatem, niſi ſit Miſsa propria talis Eccleſiæ ùt dictum eſt n. 2. Ita S. R. C. 11. Junii 1701.

5. Sacerdotes exteri confluentes ad Eccleſias Regularium, dum celebrant apud eosdem, debent ſe conformare cum iisdem Regularibus quò ad Credo, & numerum Orationum, ſed pro tunc, quando feſtum celebratur cum ſolemnitate & concurſu populi; Si verò absq; ſolemnitate celebretur, poſſunt ſe conformare quidem in prædictis, ſed non tenentur. Ex Decr: S. R. C. 11. Junii 1701.

6. Similiter exteri celebrantes in Eccleſia Regularium tenentur eundem colorem adhi-

adhibere, quô utuntur prædicti Regulares, & possunt dicere commemorationem Octavæ, si quæ fiet in eadem Ecclesia, quam conformitatem etiam Regularibus concedit eadem S. R. C. 1701. dum celebrant in alienis Ecclesiis.

Plura videnda sunt de conformitate Missæ supra pag. 257. n. 6.

ARTICULUS III.

De Incensatione Altaris & Oblatorum.

1. *Quando fieri debet incensatio?* R. Pro tũc, quãdo cũ Ministris Vesperæ vel Missa celebrãtur, non verò si absq; illis absolvantur. Ex Decr. S. R. C. 19. Aug. 1651.

2. *Quotuplex est Incensatio?* R. Quadruplex, nempe: Altaris, Oblatorum, SS. Sacramenti, & ipsius Celebrantis, ac Ministrorum.

§. I.

De INCENSATIONE ALTARIS.

3. *Quomodo fieri debeat Incensatio Altaris dum non est expositum Sacramentum?* R. Juxta doctrinã Gavanti & Merati hôc modô:

I. Si sit Incensatio in Missa, Sacerdos dictâ Orat: *Aufer à nobis* &c. & osculatô

Alta-

Altari ſtabit in medio, cui Diaconus porrigit cochlear oſculando illud in ſummitate manubrii, ac dexteram manum ipſius Sacerdotis in exteriori parte, non verò digitos. Deinde versùs illum inclinatus dicit: *Benedicite Pater Reverende.* Si verò ſit Epiſcopus, aut Abbas, dicendum eſt: *Pater Reverendiſſime.* Similiter ſi erit Generalis aut Provincialis, quia iſti apud Regulares Ordinarii habent dignitatem. Tunc Celebrans manum ſiniſtram pectori admovens, accipit cochlear à Diacono, ter è navicula thus accipiendo, trinâ vice ponit illud in thuribulum ita diſtinctè, ùt in prima thuris immiſſione dicat: *Ab illo benedicaris*, in ſecunda: *in cujus honore*, in tertia: *cremaberis*, redditôq; cochlearî, ſignat thus impoſitum nil dicendo.

II. Quô expletô, accipiens Diaconus thuribulum de manibus thuriferarii porrigit illud Celebranti, priùs tamen ſummitatem catenularum oſculando, deinde eandem ſummitatem ponit in ſiniſtra Celebrantis, extremitatem verò in dexteram, oſculans illam ùt ſupra.

III. Tunc Celebrans acceptô thuribulô facit profundam Cruci inclinationem, ter

æquali ductu incensando illam nil dicens, quibûs finitìs iterum Cruci profundè inclinari debet.

IV. *Nota*, quòd si Incensatio fiat ad Majus Altare, ubi SS. Sacramentum est inclusum in tabernaculo, non Cruci debet fieri inclinatio, sed Venerabili genuflexio ante & post incensationem, in quo casu Celebrans adorat quidem clausum SS. Sacramentum, non tamen illud thurificat, sed Crucem. Quoties autem in thurificatione transit per medium Altaris, debet unicum genu flectere, tangens manu Altare, ùt citiùs surgat, non tamen Ministri tangere debent, ùt notat *Merati.*

V. Finitâ incensatione Crucis, thurificet reliquias duplicî ductu si adsunt, priùs tamen illas, quæ sunt in cornu Evangelii. Postea incensat Altare, incipiens à latere Epistolæ, ter ducens thuribulum æqualî distantiâ, prout distribuuntur candelabra, usq; ad extremitatem illius cornu Epistolæ, tot movens passus, quot thuribuli tractus, manus cum pede in motu concordando. Non debet autem plures facere ductus etiamsi sint plura vel pauciora candelabra, quia non candelabra, sed Altare incensatur.

VI.

VI. Cùm ad cornu Epiſtolæ pervenerit, inclinat ſe aliquantulùm, demiſsâq; manû cum thuribulo, ſemel incenſat inferiorem partem lateralem Altaris, deinde ſuperiorem, bis ducendo thuribulum.

VII. Deinde converſus ad Altare, & faciem ad medium vertens, elevat manum & incenſat in ſuperiori parte planitiem; ducens thuribulum obliquâ lineâ velut in ſemicirculum à dextra ſua ad ſiniſtram, procedendo ad medium. Et factâ eôdem modô incenſatione alterius cornu Evangelii, non redit adhuc perfectè ad medium Altaris, ſed demiſsâ manû ad frontem Altaris, incenſat illud ter ducens thuribulum rectâ lineâ à cornu Evangelii usq; ad medium, ubi perveniens profundè inclinatur Cruci, & pariter incenſat triplicî ductû alteram partem Altaris usq; ad cornu Epiſtolæ, ibiq; reddens utrâq; manû thuribulum Diacono, ac converſus ad illum ſtat junctîs manibûs, dextrô brachiô quaſi tangens cornu Epiſtolæ, incenſatur ab illo, cui nullatenus inclinatur ante & poſt incenſationem, quamvis ipſe Diaconus profundè inclinari tenebitur.

VIII. Si in medio Altaris ſit expoſita aliqua inſignis reliquia, hæc immediatè poſt

Crucem duplicî ductû incensari debet, absq; ulla inclinatione, vel reverentia, ob Crucis præsentiam. Post quam incensandæ sunt aliæ reliquiæ ùt supra.

IX. Si in Altari nullæ sint expositæ reliquiæ, tunc post Crucem incensandum est statim Altare, omissîs numerîs 4.5.6.7.

X Quæ ùt faciliùs imprimantur memoriæ, ponitur tabula, in qua numeri significant ductus thuribuli, locus autem numerorum denotant locum ductuum.

§. II.

De INCENSATIONE ALTARIS, EXPOSITO SS. SACRAMENTO.

Quomodo fieri debet Incensatio expositô Sacramentô? ℟ Hôc modô

I. Celebrans accedens cum Ministris ad Altare, debet ambo genua flectere in plano ante infimum gradum, ac Caput profundè inclinare, quod etiam observare debet quoties transit ante expositum Venerabile Sacramentum.

II. Posteà ascendens ad secundum gradum, imponat thus in thuribulum trinâ vice ùt supra, cum hac tamen differentia; quòd præsente SS. Sacramentô non debet

Diaco-

Diaconus osculari cochlear aut manum Celebrantis. Item non debet peti benedictio thuris, si solùm Venerabile est thurificandum, secùs verò omittenda non est si etiam Altare ac ipse Celebrans incensari debent, quod benè notandum est.

III. Celebrans acceptô thuribulô à Diacono post profundam inclinationem incensat SS. Sacramentum triplicî ductû, motû gravî, interpositâ brevî morulâ inter unumquemq; ductum, quô tempore omnes Ministri flectere debent.

IV. Tandem, surgens Celebrans accedit ad Altare cum Ministris Sacris nempe cum Diacono & Subdiacono, ubi facta genuflexione incensat Altare more solito, omittendo incensationem Crucis ac Reliquiarum, ùt notat *Merati* p. 2. tit. 14.

Quæ sunt notanda circa expositum V. Sacramentum? ℟ Hæc sequentia:

I. Dum est expositum V. Sacramen. omnes tam accedentes, quàm recedentes cujuscunq; Ordinis ac Dignitatis sint, semper capite nudô utrumq; genu flectere debent. Ex Decr. S. R. C. 16. Aug. 1651.

II. Dum tempore Processionis cum SS. Sacramento elevatur hostia vg. in Missa

privata, non debent transeuntes flectere, quia omnes sunt in actuali servitio & adoratione Sacramenti. Multò magis à genuflexione abstinere debent transeuntes versùs SS. Sacramen: in tabernaculo inclusum, ùt docet *Merati* p. 2. tit. 14.

III. Quando in Processione vel post, benedicitur Populus cum V. Sacramento debet Sacerdos perfectam Crucem facere cum eodem V. Sacram: & postea gyrum perficere, ùt benedicantur & illi, qui à tergo sunt. Ita S. R. C. 21. Mart. 1676.

IV. Non debet fieri concio capite tectô ante expositum publicè Sacram. Ex Decr. S. R. C. 16. Febr. 1630.

V. Non licet celebrare Missam privatam in illo Altari in quo est expositum publicè Sacram: præsertim si in illa Ecclesia adsint plura Altaria. Ita S. R. C. 9. Aug. 1670.

VI. Dum cantatur Missa coram exposito V. Sacram: debet fieri commemoratio de illo post alias Orationes, quæ sunt de præcepto In Missis autem solemnibus *1mæ* aut *2dæ* classis eadem commemoratio debet fieri sub unica conclusione cū Oratione Festi. Ex Decr. S. R. Cong. 23. Junii 1736.

§ III.

§ III.

De MODO INCENSANDI OBLATA.

Quomodo debeat fieri incenſatio Oblatorum? ℟ Hôc Modô:

I. Poſtquam dixerit Celebrans: *Veni Sanctificator* &c. accipit cochlear à Diacono cum oſculo, ſi non eſt expoſitum SS. imponens ter thus, dicendo: *Per interceſſionem S. Michàélis* &c. ubi licèt Diaconus petat benedictionem thuris, non tamen debet flectere.

II. Acceptô thuribulô incenſat Oblata, nullam faciendo inclinationem aut genuflexionem, etiamſi ſit expoſitum V. Sacram. Incenſabit autem ter ducens thuribulum ſuper Calicem ſimul & hoſtiam per duas lineas, quarum una erit directa, altera tranſverſalis. Non debet autem Celebrans demittere & elevare thuribulum per quatuor partes, quaſi puncta quatuor efformando, ſed æquali altitudine ductus fieri debent, quia aliàs facilè effunderetur vinum.

III. Quando autem Celebrans incenſat Oblata, pedem Calicis Diaconus manu dextra à latere Epiſtolæ tenere debet, hoſtia autem non eſt tegenda patenâ, quia hanc

Subdiaconus pro tunc ſtans in medio poſt ultimum gradum tenere debet usq; ad illa verba Orationis Dominicæ: *Et dimitte nobis debita* &c. In quo loco ſtans, nunquam genuflectit, niſi ad elevationem hoſtiæ. Ex quo patet, quòd ab Offertorio usq; ad prædicta verba ſolus Diaconus proximè aſſiſtit Celebranti. Hic tamen Ritus quibusdam in locis ſolet aboleri, èo; quia non adeſt Ceremoniarius, qui adjuvet in Miniſterio Diaconum.

IV. Poſt incenſationem Oblatorum modô qui in tabula deſcribitur, Diaconus amovet Calicem è medio Altaris collocans ipſum in cornu Epiſtolæ, tunc Celebrans factâ Cruci inclinatione aut genuflexione (ſi V. Sacram: eſt occluſum in tabernaculo) incenſat Crucem, quâ finitâ reponitur à Diacono Calix in ſuo loco. Celebrans verò proſequitur incenſationem Altaris ùt ſupra, dicens: *Dirigatur Domine* ita diſtinctè; ùt ad ſingulos ductus quaſi ſingula exprimat verba.

V. Quomodo autẽ faciendæ ſint Cruces & circuli in incenſatione Oblatorũ, & qualiter diſtribui debent verba? faciliùs & breviùs hâc tibi demonſtro figurâ:

VI.

VI Si autem expositum sit V. Sacram. tunc Celebrans finita incensatione Oblatorũ, descendit ad secundum gradum Altaris, ibiq; genuflexus trino ductu incensabit V. Sacram: surgensq; posteà ascendit ad Altare, ubi genuflexus incensat illud modô solitô, sicut in prima tabula describitur, omittendo incensationem Crucis & Reliquiarum.

ARTICULUS IV.

De Inclinationibus, Crucibus, ac Ritu Manuum in Missa.

Quotuplex est Inclinatio? ℟ Triplex: Profunda, Media, & Infima; quibus etiam adjungitur Genuflexio.

Profunda: est capitis & humerorum profunda incurvatio.

Media: est capitis & humerorum modica incurvatio.

Infima: est solius capitis demissio.

2. *Quando in Missa debet fieri profunda Inclinatio?* R. Tunc, dum Celebrans accedit vel recedit ab Altari, ubi non est V. Sacram. Ad: *Confiteor.* Ad: *Munda cor.* Ad *Te igitur.* Ad *Supplices*, & dum sumit S. hostiam.

3. *Quando Media?* R. Post Conf. Ad: *DEUS tu conversus.* Dum dicit: *In spiritu humilitatis. Suscipe S Trinitas.* Ad: *Sanctus.* Ad: *Agnus DEI* & Orationes sequentes. Ad: *Domine non sum dignus.*

4. *Quando Infima?* ℟ Ad Invocationem Nominis JESU & MARIÆ aut Sancti de quo celebratur Missa, vel fit commemoratio; de qua inclinatione vide inferiùs p. 308 n. 15. Item Ad: *Placeat Tibi S. Trinitas* & quoties Celebrans abit vel redit ad medium Altaris. Pro quò.

5. *Nota imò:* quòd dum ante recessum vel post accessum ad medium Altaris immediatè debeat fieri inclinatio, propter vg. osculum Altaris, pro tunc non est facienda nova Cruci inclinatio, quia se jam satis Celebrans inclinavit, aliàs in continua agitatione deberet existere.

6. *Nota 2dò:* quòd dum Celebrans recedendo vel accedendo ad Altare, (ubi non est V. Sacramentum) inclinatur profundè Cruci, Minister pro tunc debet genuflectere coram eadem Cruce, ùt docet Rubr: Mis. p. 2. tit. 2 n. 7.

CRUCES.

7. *Quomodo Cruces fieri debent in Missa?* ℟ Non

℟ Non debent fieri manu transversa, ſed rectâ in transverſa parte. Ex Decr. S. R. C. 24. Julii 1683. Id eſt, dum ſecunda producitur linea Crucis, quæ eſt transverſa, non debet fieri curvata manu, ſed rectâ, eô modô, quô fuit producta prima linea recta, & adſummùm minimus digitus curvari debet, ac ſi illô ſolô daretur benedictio, ùt docet *Merati* p. 2. tit. 7. n. 20. Quod etiam in benedictione populi aut alterius rei, ſervari debet.

8. Quoties Celebrans benedicit aliquid, nunquam in àëre debet tenere ſiniſtram, ſed ſi ſeipſum, vel populum ſignat, ſiniſtram debet applicare infra pectus, ſi verò calicem vel Oblata, in altari illam locare debet.

9. Dum ſignatur calix & poſtèá hoſtia, non debet deprimi manus ad hoſtiam, ſed eadem altitudine debet formari Crux ſupra hoſtiam, quâ formatur ſuper Calicem, quia aliàs in celeri motu dexteræ facilè poſſet trudi calix.

RITUS MANUUM.

10. Quoties Celebrans inclinatus dicit Orationem in medio Altaris, junctîs manibûs, debet illas ponere in Altari, exceptò ad: *Munda cor meum*, & ad: *Sanctus* quas

pro

pro tunc inclinatus tenet in àére ſupra Altare.

11. Dum extenduntur manus in Miſsa, non debent latitudinem corporis, neq; altitudinem humerorum excedere.

12. Quomodo autem ſunt tenendæ manus ad: *Hanc igitur?* dicetur inferiùs.

ARTICULUS V.
De Gloria, Collectis & Credo.

1. *Quando dicitur Gloria in Miſsa* ℟. Tunc, dum in Matutino dicitur: *Te DEUM laudamus*, exceptîs feriâ 2. & 3. Rogat. feriâ 5. in Cæna D. & Sabbathô S. in quibus canitur Gloria, etiamſi prædictus Hymnus in Matutino non recitetur.

2. Item non dicitur in Miſſis, quæ non concordant cum Officio diei, utì in Vigiliis, Votivis, de Requiem.

3. In quibus autem Votivis dicitur Gloria, dictum eſt ſuperiùs pag. 254.

COLLECTÆ.

4. Quando in Miſsa aſſignatur *3tia* Oratio ad libitum, tunc poteſt recitari quæcunq; Oratio etiam pro defuncto. Ex Decr. S R. C. 2. Decembr. 1684.

5. In Collecta, quæ dicitur contra Paganos

ganos

ganos non poteſt mutari Nomen Paganorum, dicendo: Turcarum. Ita S. R. C. 30. Julii. 1689.

6. Oratio: *A cunctis*, &c. tunc dicitur in Miſsa, quando in laudibus fiunt Commemorationes Sanctorũ, exceptò in Miſsa Vigiliarum. Ita *Merati* p. 1. tit. 9.

7. In eadem Orat. *A cunctis* Nomina SS. Michàélis & Joan. Baptiſtæ præponenda ſunt Apoſtolìs. Ex Decr. S. R. C. 22. Aug. 1620.

8. Item Nomen S. Joſeph præponi debet Apoſtolìs. Ex Decr. Bened. XIII. 19. Decembr: 1726.

9. In Oratione: *A cunctis* ſub litera *N.* debet exprimi Patronus Eccleſiæ, non verò Patriarcha Ordinis, ùt notat *Merati.* Poteſt tamen fieri utriusq; commemoratio, ſervatâ primitate quò ad dignitatem. Si verò Patronus illius Eccleſiæ nominetur in prædicta Oratione ante literam *N.* vg. quia eſt Eccleſia ſub tit. Beatiſſimæ, aut SS. Petri & Pauli, tunc ſub litera *N.* poteſt quicunq; alius Sanctus nominari ad placitum Celebrantis.

CREDO.

10. Credo dicitur in omni Dominica qua-

qualecumq; ſit Officium in illa, aut Miſsa, dummodo non ſit de Requiem.

